CONFUCII CHI-KING

[or Shih-king]

SIVE

LIBER CARMINUM.

EX LATINA

P. LACHARME INTERPRETATIONE

EDIDIT

JULIUS MOHL.

STUTTGARTIAE et TUBINGAE,

Sumptibus J. G. Cottæ.

1830.

AMICISSIMO ET DOCTISSIMO

GRAVES CHAMNEY HAUGHTON

DICAT, DEDICAT

EDITOR.

PRAEFATIO EDITORIS.

Confucius sexto ante Christum seculo rerum publicarum apud Sinas confusionem et perturbationem, morum corruptelam et doctrinarum licentiam moerens, patriae remedium afferre conatus est. Quaecunque ex antiquorum temporum monumentis idonea ad revocandum pristinum rerum ordinem videbantur, in sex libros collecta, edidit, ut inde reipublicae administrandae modum, morum disciplinam et saniorem doctrinam discerent posteri. Unus ex his libris periit; qui supersunt quinque ex eo inde tempore imperii Sinensis fundamentum et norma fuerunt. Quae ad doctrinam spectant in libro Y-king inveniuntur, quae ad historiam et procurationem rerum publicarum in libris Chou-king et Tchun-tsieou, quae ad caeremonias in libro Li-ki, quae denique ad mores pertinent in libro Chi-king traduntur, de quo hic paucissima praefari mihi liceat. — Amplissime actum est in libris Y-

king et Chou-king de familia imperatoria Tcheou, quae duodecimo ante Christum seculo rerum apud Sinas potita est, et in illis videndum, quae de imperio regendo novae genti nova placuerint. Poësin non negligendam censuerunt Ouen-ouang et ipsius filii, et nova carmina componere ipsis necesse visum, quae in ceremoniis tum publicis tum domesticis canerentur, et morum doctrina populum imbuerent. Insuper, quo provinciarum statum melius noscerent, praefectos jusserunt, quotannis cum tributo eas cantilenas imperatori transmittere, quas tunc populus in deliciis haberet. Idem successoribus studium, ac per longam annorum seriem carmina omnium gentium ac omnium provinciarum in tabulariis publicis congesta. Confucius tria eorum millia invenit, ex quibus 311 elegit, ut antiquorum virtutes in exemplum, vitia in odium sui temporis hominibus offerret; hic est Chi-king, qui tertium inter libros classicos tenet locum, et integer ad nos pervenit, exceptis sex carminibus, quorum verba perierunt, ac tituli soli cum musicis numeris supersunt. Ea carminum est varietas, ut nihil fere sit in rebus llius temporis, seu privatis, seu publicis, quod

non attingant. Multa ex eis ab imperatoribus scripta, ipsorum vitam et affectiones, consilia ac reconditos animi recessus nobis ostendunt; alia, a plebeis hominibus composita, populi gaudia ac moerores, cupiditates et negotia, familiarum concordiam et dissidia, principum laudes et vituperia exhibent. Sunt quaedam antiquissima ante familiae Tcheou dominationem, i. e. ante annos abhinc ter mille, conscripta (vide Chang-song, lib. IV. cap. 3.). Pleraque autem ineunte domus illius imperio, et quae sunt recentissima, septimo ante Christum seculo composita sunt.

Libri fatum, incendium atque restitutio, et quaecunque ad criticam pertinent, optime a P. Regis in parte prima libri Y-king exposita sunt. Alii etiam de libro disseruerunt, ut cl. Freret (mémoires de l'académie des Inscriptions et belles lettres vol. 15.), Duhalde description de la Chine vol. II., Amiot, mémoires concernant les Chinois etc. vol. II. p. 74. sq. et 220. sq., Grosier, Description de la Chine 4. p. 705. cl. Marshman, clavis Sinica, Serampou 1814. 4. p. 543 — 556. et cl. Brosset in libello: Essai sur le Chi-king par M. Brosset, jeune. Paris 1828. p. 1 — 28. —

Carmina libri Chi-king nonnulla in linguas Europaeas translata, typisque impressa sunt. Primus, ni fallor, P. Duhalde descriptioni imperii Sinensis septem odas, in linguam Gallicam nescio cujus opera translatas*), inseruit (vol. II. p. 308—17. fol.). Post ipsum P. Cibot alias septem libello suo de pietate filiali (mémoires conc. les Chinois vol. IV. p. 172—176.) adjunxit, nempe carmina Chi-king II., 5. 8. I. 4. 1. II. 4. 1. II. 1. 4. I. 7. 2. III. 2. 1. III. 1. 6. Idem**) alias tres et quartae partem adjecit libello de lingua Sinensi, (mémoires conc. les Chinois vol. VIII. p. 198. 199. 240., quas P. Grosier in descriptione imperii Sinensis denuo typis mandavit (p. 705. sq. ed. 4.). Illustr. Guilielmus Iones fragmenta trium odarum (nempe I. 5. 6. I. 1. 6. II. 4. 7.) secundo volumini actorum societ. asiat. Calcutt. inseruit. (Researches II. p. 199. sq. ed. Lond. 8.) R. Morrison in prima

*) Esse patris Intorcetta crediderim.

**) P. Cibot auctorem esse hujus libelli apparet ex praefatione, ex qua discimus auctorem libri mortuum esse anno 1780 mensis Aug. die 8., qua die P. Cibot mortem obiisse apparet ex ejus vita (vid. Biogr. univ. sub voce Cibot).

parte dictionarii Sinici magnum odarum numerum laudat, earumque fragmenta, breviora, longioria sinice et anglice exhibet, nempe pag. 452, od. I. 15. 5. Pag. 493, od. I. 11. 4. Pag. 526, od. II. 3. 7. Pag. 529, od. I. 6. 2. Pag. 607, od. I. 10. 10. Pag. 631, od. I. 3, 17. Pag. 655, od. I. 10. 2. Pag. 836, od. I. 4. 3. aliarum odarum fragmenta invenies pag. 434. 455. 467. 475. 486. 491. 495. 500. 504. 513. 523. 557. 585. 591. 593. 599. 601. 606. 617. 619. 622. 626. 627. 643. 647. 701. Cl. Landresse odam II. 4. 7. latina et gallica interpretatione instructam edidit (Journal asiatique vol. I. p. 78 — 87), et denique cl. Brosset in libello supra laudato, septem odas gallice reddidit, nempe od. I. 7. 7. I. 7. 13. I. 7. 15. I. 15. 3. II. 1. 4. III. 1. 7. IV. 3. 2. — Qui autem unus omnem librum summa cum eruditione et cura latine interpretatus et commentatus erat, P. Lacharme ex soc. Jesu, suorum incuria neglectus latuit. Vir doctissimus, Sinicae et Tartaricae linguae peritissimus nullum vitae vestigium reliquit, nisi hoc egregium opus, quod anno 1733 inchoatum nec vero absolutum fuisse videtur, (vide mém. de l'acad. des inscriptions vol. 15. p. 539.): quando

auctor finem operi imposuerit, incertum; anno 1752 Pekini adhuc ipsum degisse ferunt. Usus sum codice Pekini scripto, per ipsum, ni fallor, P. Lacharme; foliis integris 71 constat; fuit olim ex libris Delisle, postea ministerii rerum navalium, nunc aedium astronomicarum Parisiensium. Verba Sinica, si quae secundum Lusitanorum modum scripta erant, secundum Gallorum methodum transscripsi, et duas tabulas, titulos Sinicos carminum exhibentes, adjeci, unam secundum ordinem libri Sinici, alteram secundum ordinem alphabeticum.

Scripsi Parisiis mense Dec. 1829.

JULIUS MOHL.

PROLEGOMENA.

LIBRI CHI-KING EX SINICA IN TARTARICAM LINGUAM VERSI PRAEFATIO AB IMPERATORE CHUN-TCHI.

De libro Chi-king sic censeo: liber ille non tam est ingenii humani opus, quam humani affectus in carminibus e vivo expressi; Ex intima enim natura depromuntur quae ibi canuntur carmina. Ad urbanitatem, quae exteriorem oris habitum exornat et virtutem quae animum excolit nos pariter informat liber ille; alia nobis proponit ad imitandum, alia refert a quibus nos deterreat. Quae in eo reperiuntur sententiose et sublimi stylo dicta, ea fere ad caerimonias in aula majorum peragendas aut ad regimen imperii imperatoremque ipsum pertinent: Quae autem vulgari et populari stylo canuntur, ea ad agricolas et plebem spectant. Quaecunque sint illa carmina et in materia quantumvis diversa versentur, eo tamen omnia collimant, ut nos ad morum integritatem erudiant. Liber Chi-king, ait Confucius, in eo positus est ut animum nostrum purget dirigatque; Ea brevi sententia Confucius complexus est trecentas libri hujus odas, quidquid argumenti tractent. Sic liber ille illiusque lectio nos in finibus officii continet, nobisque agendi normam rectam demonstrat, nos ad lumen rationis nobis indi-

tum fixos habere jubet oculos; quo ferri debeamus, quid animo prosequi, ostendit, nosque ad id incitat. Vir autem rectus et libidinis expers ita domino suo servit, ut fidem debitam nunquam deserat, parentibus suis ita obsequitur, ut a pietate in parentes nunquam deflectat; ex his duobus verus rerum omnium ordo et recta agendi norma exsurgit; at in his duobus et in hac amplissima materia dicendi versatur liber Chi-king: Cum igitur ex hoc libro tanta utilitas exoriatur, eumdem volui encomiis exornare meis, et hanc praefationem scribere.

Imperatoris Chun-tchi anno 11.
(sive post Chr. anno 1655.)

Bene refert Pater Couplet in libri qui inscribitur: Confucius Sinarum philosophus, prooemiali declaratione, de Chi-king carminibus disserens his verbis. Est.... horum poematum magna auctoritas, at stylus sane difficilis et obscurus; obscurum facit brevitas semper laconica et saepe metaphorica et proverbiis antiquissimis ornata etc. Et quidem numeris stricta oratio quocumque idiomate scribatur longe est intellectu difficilior quam illa quae numeris soluta est oratio; quid igitur de carminibus Sinicis, in tanta Sinensis linguae difficultate dicendum? Eo accedat Chi-king carminum singularis obscuritas. Ego igitur, cum carmina illa latino idiomate reddenda meditarer, laborem viribus meis longe majorem suscipere mihi videbar. Quod tamen mihi temeritati minus vertant velim, non destiti ab incepto; et quae conatus sum, perfecisse mihi aliquantum videor. Sed qua mente, quibus adjumentis opus tam difficile aggressus sim, quem interpretandi modum secutus sim, brevi dicam.

Cum hic Pekini beneficiis regiis alamur et Ludovicus magnus hanc nostram missionem gallicam in Sinis erexerit eo consilio ut missionarii Galli, qui in Sinensi vinea Domini operam suam collocant, horis subcisivis obser-

vationes astronomicas facerent, libros Sinicos Europaeo idiomati redderent, aliaque id genus tractarent scientiis utilia, quod a Patribus nostris Missionariis hactenus tanto studio et tantis laboribus, perfectum est, in ejus partem venire ipse conatus sum et observationibus caelestibus faciendis et libris Sinicis nostro idiomati reddendis; cumque antiquorum Sinarum moribus dignoscendis liber Chi-king aptissimus sit, eum interpretari suscepi, ex cujus lectione colligetur, quo antiquior est gens quaevis, eo antiquiorem esse cultum Dei apud illam. Haec autem carmina licet tempore Dynastiae Tcheou fere scripta sint, multa tamen ibi commemorantur hujus dynastiae temporibus longe superiora. Hanc igitur do interpretationem antiquitatis amatoribus tanquam remotissimae antiquitatis praeclarum monumentum, quod quidem, quo libentius volvatur, notis pluribus illustravi.

Celeberrimum Tchou-hi qui dynastiae Song tempore florebat, interpretem Sinensem secutus sum, quanquam alios etiam interpretes legi. Peritum Sinam laureatum in libris versatissimum carmina Chi-king vulgari sermone exponentem audivi: praeterea linguae Tartaricae non ignarus librum Chi-king in linguam Tartaricam versum consului. Haec versio Tartarica imperatoris Chun-Tchi mandato facta est ab utriusque lingua peritissimis doctoribus, qui religioni duxerunt carmina de verbo interpretari; Cumque lingua Tartarica a linguarum Europaearum natura et ratione non multum abludat et linguae Sinensis am-

bagibus et vocum vago et incerto sensu careat, ejus linguae scientia magno mihi fuit adjumento ad textus Sinici genuinum sensum eruendum.

Hactenus qui libros Sinenses patrio idiomate reddiderunt, nonnulli verba interpretis Sinensis propria ipso textu confundentes, interpretationem minus sinceram scripserunt, quod ego vitare studui; et si in contextu interpretationis aliquid addo quod in textu Sinico minus reperiatur, illud intra duas parentheses ( ) includo, quas qui viderit, non tam mea esse verba judicabit, quam interpretis Sinensis, ut sermonis sensus magis elucidetur; ego enim ita textui adhaesi ut maluerim esse insuavis et obscurus, quam minus fidelis interpres: itaque librum Chi-king, illud antiquitatis monumentum, genuinum et nativum, nullo fuco illitum, in Europam transmitto.

LIBRI CHI-KING BREVIS NOTITIA.

De libro Chi-king in utraque praefatione in genere dictum est; jam de eodem sigillatim aliquid dicendum. Liber ille est collectio carminum antiquorum a Confucio facta, quae quatuor partibus constat. Prima pars Koue-fong dicta, sunt cantilenae, a vulgo decantata carmina, quae imperatores sibi tradi curabant, maxime cum imperium perlustrabant, ut ex iis dignoscerent varios variorum qui suo parebant imperio regnorum mores, ut pravos corrigerent, bonos autem laudarent. Regnorum singulorum singuli reges sive reguli, quae in sua ditione passim canebantur

cantiones, eas imperatori offerre tenebantur, quas lectas imperator suo musicae praefecto tradebat examinandas et asservandas. Imperante Pin-ouang, qui anno ante Christum 771 regnare coepit, jam hic mos obsoleverat, quem Confucius ut suppleret, ejusmodi carminum collectionem fecit, ea mente ut quae praeclare dicta aut facta his carminibus celebrantur, eorum lectione suos ad virtutem accenderet, quae autem mala referuntur, iis malos a malo deterreret: quae autem deprehendit antiqua carmina ad finem sibi propositum minus facientia, ea abjecit.

Secunda pars Siao-ya dicta, tertia pars quae Ta-ya dicitur, alia sunt carmina quibus gentis Tcheou, unde dynastia Tcheou, alia quibus imperatorum, alia quibus regulorum et illustrium virorum laudes celebrantur; alia quibus reguli et magnates imperatori gratias agunt, aut fausta apprecantur; alia quae in convivio post peracta parentalia canebantur; alia contra imperatorem et publicae rei administrationem scribuntur; in aliis agricultura commendatur, in aliis regendi documenta dantur, in aliis calamitates publicae deflentur etc.

Quarta pars Song dicta, sunt parentalia carmina, quae, dum imperatores dynastiae Tcheou et reguli in regno Lou regnantes, et dynastiae Chang imperatores avis suis parentarent, canebantur. Caeterum, apud Sinas, nihil ambigitur, quin liber ille sincerus et integer ad hanc usque aetatem pervenerit, et ex librorum incendio incolumis evaserit: praeter universae gentis testimonium quod detrec-

tare stultorum est, argumento sunt plurima alia*), quibus supersedeo et quae referre longum et supervacaneum esset.

Cum liber Chi-king fere totus sit in rebus dynastiae et familiae Tcheou, non abs re erit, aliquid de hac familia, et de statu imperii sub hac dynastia referre.

CHRONOLOGICUM STEMMA FAMILIAE TCHEOU REGIAE, AB HEOU-TSI REGULO AD PIN-OUANG IMPERATOREM.

Heou-tsi anno ante Christum 2286, 72° imperii Yao ab eodem imperatore Yao agriculturae praepositus fuit.

Ab Heou-tsi repetitur stirpis Tcheou exordium.

Kong-lieou ab Heou-tsi originem trahens fugiebat ab imperatore Kie, dynastiae Hia ultimo, anno ante Christum 1797.

Tan-fou a Kong-lieou oriundus vocari voluit Tcheou, unde familia Tcheou dicta anno 1327.

Hujus filius fuit Ouang-ki qui patri successit in regnum anno 1231.

Patri Ouang-ki successit Ouen-ouang anno 1182.

Ouen-ouang reguli filius Ou-ouang conscendit thronum imperii anno 1122.

Ou-ouang imperatori successit Tching-ouang filius 1116.

Tching-ouang imperatori successit Kang-Ouang filius 1079.

*) Antiquitatis mos erat ut facinus notatu dignum versibus et memoriae mandaretur. Sic librum Chi-king, quem memoriter didicerant, amissum facilius quam caeteros libros recuperare potuerunt.

Kang-ouang imperatori successit Tchao-ouang filius 1053.

Tchao-ouang in aquis periit, huic successit filius Mou-ouang 1002.

Post Mou-ouang imperavit Kong-ouang filius 944.

Post Kong-ouang regnavit Ye-ouang filius 935.

Post Ye-ouang regnavit filius Hiao-ouang 910.

Post Hiao-ouang regnavit filius Y-ouang 895.

Post Y-ouang regnavit filius Li-ouang 889.

Post Li-ouang regnavit filius Suen-ouang 828.

Post Suen-ouang regnavit filius Yeou-ouang 782.

Post Yeou-ouang occisum regnavit filius Pin-ouang anno 771.

BREVIS PSOSPECTUS IN IMPERIUM SINENSE

AB IMPERATORE TCHEOU-OUANG DYNASTIAE CHANG ULTIMO AD TCHEOU DYNASTIAE SEQUENTIS IMPERATOREM PIN-OUANG.

Sub tribus dynastiis Hia, Chang, Tcheou, Sinense imperium uni quidem duci et imperatori parebat, ita tamen ut imperium in plurimas ditiones sive parva regna distributum, a totidem regulis ab imperatore designatis, et jure etiam haereditatis regnantibus, cum onere clientelae imperatori praestandae regeretur. Tempore dynastiae Tcheou numerabantur in Sina 1800 regna sive ditiones, quarum pleraeque non nisi minimo terrae tractu contine-

bantur. Cum imperator Tcheou-ouang dynastiae Chang dictae crudelitate sua et libidine effraeni suorum omnium in se odia concitavisset, et Regulus Ouen-ouang qui tunc temporis florebat inter regulos potentissimus, prudentia sua, aequitate, et humanitate omnium sibi animos devinxisset, in imperio Reguli contra imperatorem de solio deturbandum, pro Ouen-ouang ad solium evehendo conspirare coeperunt; quae dum pararentur, moritur Ouen-ouang et in Ou-ouang ejus filium et successorem conjiciunt oculos imperii dynastae. Die armis capiendis dicta, Ou-ouang cum fortissimo exercitu ad urbem regiam properat et in campo Mou-ye in territorio hodiernae Ouei-houei-fou in provincia Ho-nan, non longe ab urbe sede imperii contra imperatorem Tcheou-ouang congreditur; ex pugna victor Ou-ouang, imperatore Tcheou-ouang in flammis pereunte, securus, nemine intercedente, sed annuentibus omnium votis, solium imperii conscendit, optimam formam regiminis in imperium inducit; quo regimine stetit imperium florens sub imperatoribus Tching-ouang et Kang-ouang successoribus, ita ut per 40 annos cessarent supplicia; sed postea labare coepit imperatoris auctoritas: Successit Tchao-ouang, qui venationi ultra modum deditus, regimen imperii neglexit, imperantibus deinde Y-ouang et Li-ouang patre et filio vix non corruit imperium. Ille hebes et stupidus, regulis imperii nimium tribuens, despicatui omnibus fuit, hic crudelis et suorum opes exhau-

riens, invisus omnibus et a rebellibus quaesitus ad necem, latere coactus est. Secutum est interregnum et mortuo in latebris suis imperatori filius solus familiae regiae a rebellibus peremptae superstes Suen-ouang succedit in thronum, laudandus quidem, qui vigilantia sua rem imperii restituit; sed Yeou-ouang filius ejus, a patre degener, uxorius et mulierculam de nomine Pao-see, spreta imperatrice, cujus filium haeredem legitimum exhaereditavit, misere deperiens, sibi et imperio perniciei fuit, et in pugna contra barbaros et Regulum imperii, qui exhaeredis filii partes sequebantur, pugnata, occisus est; sic exhaeres filius imperii haeres factus est, Pin-ouang scilicet imperator, sub quo Reguli viribus et potentia invaluerunt; et aula ex provincia Chan-si in provinciam Ho-nan translata exacerbati dynastae jugum fere excusserunt, ita ut, qui secuti fuere imperatores non re, sed nomine regnantes nihil nisi umbram dominii retinerent.

POESIS SINICA.

Jam de poësi Sinica et de illa in qua liber carminum Chi-king versatur disserendum.

Libri Chi-king carmina sunt odae, quarum tria sunt genera; unum dicitur Hing, alterum Pi, tertium Fou. In primo antequam ad propositum argumentum veniant, exordiuntur a materia quae ex rerum natura petitur et proposito argumento aliquid vicina sit; et saepe in quo vicina sit non ita patet, nec parum laborant litterati Sinenses in inveniendo

quid illa materia, unde exordium odae, ad odae argumentum faciat. Hoc proponitur enucleandum, estque ad examen venientibus litteratis pro themate orationis scribendae. In secundo per allegoriam, in tertio autem directo sermone, sine ambagibus loquuntur.

Odarum stropha quaelibet pari numero versuum constat; et quilibet versus fere pari numero verborum definitur: Versus plerique quatuor, nonnulli tamen pluribus verbis constant. Versus illi in eadem stropha, alii in eumdem rhythmicum sonum desinunt; alii non.

Versus condendi leges variae pro variis dynastiis fere fuerunt: Ut earum aliqua notitia aperiatur, sciendum est in Sinensi lingua quamlibet vocem sive syllabam (voces enim Sinicae sunt monosyllabae) uno ex quinque tonis distingui; inter quos tonos unus continuus, aequabilis sonus Ping appellatur; quatuor alii toni in versu condendo omnes promiscue de nomine Tche dicuntur. Tonus Ping, sive syllaba hoc tono pronuntiata, ad syllabam latinam quantitate longam fere recidit. Syllabae tonis Tche pronuntiatae ad brevem recidere dici possunt; lingua latina inter breves nihil habet discriminis; sed lingua Sinica varias breves pro vario tono aut acuto aut gravi, aut imo, aut summo distinguit.

Jam ut ad rem veniamus, hodierna poësis has habet regulas, ut versibus condendis, primus in tonum Ping finiatur, alter in tonum Tche, tertius in tonum Ping; postea primus in tonum Ping, alter in tonum Ping, tertius in tonum Tche. Quatuor sequentes in to-

num Ping et in tonum Tche alternatim; deinceps primus in tonum Tche, alter in tonum Ping, tertius in tonum Tche et sic de caeteris; Sinarumque prosodia his hodie verbis fere continetur Ping, tche, ping. Ping, ping, tche. Ping, tche, ping, tche. Tche, ping, tche. Aliis aliorum temporum regulis nihil immoror.

Quoad numerum verborum sive syllabarum in quolibet versu, aliae etiam aliis temporibus fuerunt regulae. Nunc temporis versus impari numero gaudent et quinque aut septem vocibus constant. Tempore dynastiae Ming quae hanc proxime praecessit, versus pari numero gaudebant, et quatuor aut sex vocibus constabant.

Liber autem Chi-king modo has, modo illas regulas sequitur; alii versus tonum Ping habent in medio, alii in fine, alii initio versus; et hoc dixisse satis erit: ipsi sinae litterati poësin antiquam non bene norunt.

De poësi hodierna dicam praeterea, quod nuper accepi regulas supra dictas magis esse pro cantilenis quam pro vera poësi, cujus hae sunt regulae. Cantus est octo versuum, quilibet versus septem verbis constat, primum, tertium, quintum est ad libitum; secundum autem, quartum et sextum in primo versu sunt ping, tche, ping, in secundo tche, ping, tche; in tertio ut in secundo; in quarto ping, tche, ping; in quinto ut in quarto; in septimo tche, ping, tche; in octavo ping, ping, ping primus versus cum secundo versu, cum quarto, sexto et octavo in eundem sonum rythmicum definit.

CHI-KING
SIVE
CARMINUM LIBER CLASSICUS.

PARS I.
KOUE-FONG DICTA
SIVE
IN VARIIS SINAE REGNIS DECANTATAE CANTILENAE.

CAPUT I.
TCHEOU-NAN DICTUM
SIVE
CANTILENAE REGNI TCHEOU AD AUSTRUM POSITI.

Ode 1.
(Epithalamium).

Aves Tſu-kiou in aquaticis terris mas et foemina ambae vices agunt suas cantando. Plenam majestatis, oris splendore et eximia virtute puellam vir sapiens matrimonio jungere gaudet.

Inaequali altitudine plantam King-tsai dictam, modo ad dextram, modo ad sinistram usque ferri videmus, quo aqua in qua adcrevit, ipsam impellit. Puellam nostram vigilando, dormiendo exoptant, cumque hanc sibi velint in uxorem, necdum obtinuerint, ipsam vel inter quiescendum, sive vigilent, sive dormiant, usque co-

gitant; et in lecto versant corpus in omnes partes, modo supini modo in faciem jacentes.

Plantae nostrae hinc, inde fit delectus. Plena majestatis est, oris splendore, et eximia virtute puella. Kin et Che fit concentus musicus.

Planta nostra hinc inde decerpta suscipitur. Plena majestatis est, oris splendore et eximia virtute puella. Campanae et tympani sonis musicis aures recreantur.

Ode 2.

10 Planta Ko, postquam creverit, valles implet. Folia luxuriantia habet illa. Aves Hoang-niao in densas arbores convolant et campos dulcissimo cantu late complent.

Planta Ko, postquam creverit, valles implet. Folia ejus luxuriantia decerpuntur et decoquuntur; inde tela texitur, sive tenui, sive crasso filo; et vestes ex hac tela induisse non displicet.

Magistram suam monere satagit (recens nupta) his verbis: significa, inquit, me cogitare de invisendis parentibus meis: vestes domesticas diligenter lavato, solemnes autem concinnato: Videto quae vestes sint reficiendae, quae non. Ego iter ad parentes paro.

Ode 3.

11 In canistro oblongo herbas dictas Kuen colligit (puella recens nupta, dum apud parentes versatur) necdum impleto canistro, ecce, inquit, mihi venit in mentem aliquis, cujus desiderio teneor; hoc dicto in viam regiam projicit canistrum.

12 Rupem illam conscendit; equus meus defatigatus est, inquit. Interim bibam in lagena aurea, et curas immensas mero luere juvat.

Dorsum montis aggreditur; equus, quo vehor, fessus lento gradu incedit; interim ego bibam in cyatho

ex cornu animalis See dicti, elaborato, si quo modo possim levare dolorem, quo sine fine crucior.

Montem illum superare conatur; at equus meus macer est, et amici mei aegrotant. Heu mihi! inquit suspirans.

Ode 4.

In (monte) Nan (Chan) videre est arbores inferiore parte incurvas, juxta quas pensilis serpit planta Ko-læi. Quam belle contigit, quam beate! [5] Sapientibus et amore dignis hominibus.

In (monte) Nan (Chan) videre est arbores inferiori parte incurvas, quas planta Ko-læi circumvolvit. Quam bene est sapientibus et amore dignis tanta felicitate fruentibus!

In (monte) Nan (Chan) videre est arbores inferius incurvas juxta quas in varios orbes circumflectitur planta Ko-læi. Quam præclare geritur cum sapientibus et amore dignis, quibus obtigit felicitas omni numero completa!

Ode 5.

Papiliones dicti Tchong-see, vos animorum magna concordia in eumdem locum convenitis; et quam florens ex vobis nascetur progenies!

Papilionum alis constrepit aër, non interrupta erit vestrorum series.

Papilio Tchong-see, tu cum tuis gregalibus una simul: ex nepotibus tuis gens magna exsurget.

Ode 6.

O quam micat arbor persica! Quam nitent ejus flores! puellæ nobiles, quae nubunt, quam diligenter familiam suam instituent!

O quam micat arbor persica! O quam pomifera illa est! puellae nobiles quae nubunt, quam diligenter familiam suam instituent!

O quam micat arbor persica! Quam densa et opaca! puellae nobiles quae nubunt, suorum curam quam diligentem gerent!

Ode 7.

Firma sunt retia quae leporibus venandis parantur. Dum humi figuntur retia repetitis ictibus, qui cietur, strepitum juvat audire. Fortes viri, generosi milites sunt Principi nostro Kong-heou pro scuto, pro muro.

Firma sunt retia contra lepores, in via unde ad omnes partes pateat aditus, panduntur laquei. O fortes viri, o strenui milites, quam libens illos princeps noster sibi adjunxit amicos!

Retia contrà lepores firma, in medio nemore panduntur. O fortes viri, ô generosi milites, quam bene illis fidit princeps noster!

Ode 8.

Colligimus herbam Feou-y; agite, colligamus: Colligimus herbam Feou-y, agite, quaeramus.

Colligimus herbam Feou-y; agite, humi repositam àttollamus. Colligimus herbam Feou-y; agite, grana ex calice depromamus.

Colligimus herbam Feou-y; agite, in angulum vestis anterioris includamus. Colligimus herbam Feou-y; agite, angulum vestis interioris zonae nostrae adnectamus.

Ode 9.

Ad austrum sunt arbores, quae non nisi in fastigio suos habent ramos, nec licet in ramis earum sedere. In regione, quam alluit amnis Han dictus, deambulant mulieres, quas frustra concupiscerent. Amnis Han latus fluvius, illius alveus non potest pedibus percurri. Fluvius Kiang ripam habet unam ab altera longe dissitam; non potest ratis huic fluvio committi.

Ex virgultorum variis fasciculis spinas resecare sa-

-tagunt. Puellae matrimonio collocantur et quaerunt unde pascant equos suos. Amnis Han latus fluvius; hujus alveus pedibus percurri non potest. Fluvii Kiang ripa utrinque dissita; ratis huic committi non potest.

Ex virgultorum variis fasciculis herbas silvestres avellere satagunt. Puellae matrimonio collocantur, et quaerunt unde pascant pullos equinos. Amnis Han latus fluvius, hujus alveus (etc. ut supra).

Ode 10.

Juxta aggerem amni You oppositum videre est mulieres ligna caedentes aut ex ramis aut ex corpore arborum; cumque virum sapientem minus videant, intus habent famelicorum instar.

Juxta aggerem amni Sou oppositum, ligna caedunt aut ex ramis quos resecant, aut ex teneris propaginibus quas amputant; ad viri sapientis adventum, jam ille, inquiunt, procul a me non recedet.

Piscis Fang subrubram gerit caudam. Regis aedes, ut ferrum candens, urere videntur: urere licet videantur, parens noster proxime hîc adest.

Ode 11.

Quis non miretur animal dictum Ki-ling, cum suis pedibus? O res miranda! Quos princeps habet liberos, illi quisque sunt alter Ki-ling.

O Ki-ling cum tuâ fronte! res miranda! Quos princeps habet cognatos, quisque sunt alter Ki-ling.

O Ki-ling cum tuo cornu! principis gentis inclitae homines, res miranda! sunt quisque alter Ki-ling.

Caput 2.

CHAO-NAN, SIVE CANTILENAE CHAO REGIONIS AD AUSTRUM POSITAE.

Ode 1.

In picarum nido morantur aves Kiou dictae. His

nobilibus puellis, quae nubunt, currus centum veniunt obviàm.

Picarum nidum invadit avis Kiou. Hae puellae nobiles quae nubunt centum habent currus in suo comitatu.

Picarum nidum implet avis Kiou. Puellae nobiles nubunt et cum centum curribus res omnino completur.

Ode 2.

Colligendis herbis Fan dictis sunt lacus et stagna, parare autem res est principis Kong-heou.

Herba Fan in vallibus decerpitur et in principis aedibus adhibetur. Ornato capite et concinnatis capillis venerandum in modum a mane ad vesperam in aula majorum degit. Ornato capite nihil properando revertitur.

Ode 3.

Suum Yao-yao susurrat locusta Tsao-tchong; subsultim graditur locusta Fou-tchong. Cum virum sapientem nondum rediisse cernant, animo sollicitantur et cor quasi subsiliens ex sede sua dimoveri videtur. Ad viri sapientis conspectum, cor meum, inquiunt, jam quietum sedi suae quasi redditur.

Montem australem conscendunt, ubi colligant herbam Kue. Absente viro sapiente, [id est, marito] animo sollicitantur et vultus tristes induunt; redeunte autem, jam inquiunt, intus gaudeo.

Montem australem conscendunt, ubi colligant herbam Ouei. Absente [marito suo] viro sapiente, crucior animo, inquiunt, et dolore tabesco. Ad reditum viri sapientis, jam, inquiunt, tranquillo sum animo.

Ode 4.

Colligitur herba Ping juxta valles ad Austrum et herba Tsao juxta lacunas quae eluvione aquarum complentur.

Haec herba in corbes et canistra congeritur et in ollis decoquitur.

Herbae (coctae) collocantur solemniter in aulâ majorum, ad angulum aedium austrum versus et occidentem. Quis ibi parentando praeest? ibi adest venerabunda, neque aetate provecta mulier.

Ode 5. 22. 22

Pyrus haec arbor, Tang-li dicta, quam opaca et umbrosa! ramos hujus parcite amputare, hujus folia nolite abscindere: ibi pridem degebat sub hâc arbore princeps Chao-pe.

Pyrus haec arbor quam umbrosa, quam late ramos suos diffundit! ah! parcite hujus folia abscindere, nolite hanc frangere: Ibi sub arbore pridem quiescebat princeps Chao-pe.

Late diffundit ramos suos pyrus haec arbor: hujus folia nolite rescindere, hujus ramos parcite flectere: Sub hâc arbore pridem habitabat princeps Chao-pe.

Ode 6.

Via rore madefit; summo mane et nocte intempes- 24,
tivâ? quid ita? non aliud est nisi quia nimio rore via madefit.

Quis dicat aviculam cornu carere? (Sin minus) quomodo in meum cubiculum irrumpens iter sibi facere potuisset. Quis dicat te sponsaliorum ritibus minus functum fuisse? (Sin minus) quomodo me in judicium traheres? me sistas licet coram judicibus, (frustra est) nulla fuerunt sponsalia.

Quis murem dicat carere dentibus? (sin minus) quomodo murum cubiculi mei permeasset? Quis te dicat sponsalia minus peregisse; (sin minus) quomodo me in judicium vocares; voces licet, ad te ire recuso.

Ode 7.

Ex agnorum pellibus albis vestes sericis filis et quin-

que modis distinctae sunt. Ex aulâ principis domum comesturi redeunt, quam alacres, quam alacres!

Ex agnorum pellibus albis vestes sericis filis et quinque modis consutae sunt. Quam alacres, quam alacres! ex aulâ principis domum ad coenandum redeunt.

Ex agnorum pellibus etc. (ut suprà).

Ode 8.

Coelum tonat ad austrum montis Nan-chan. Quare hinc abivit? Quî fit ut nihil huic relinquatur otii, vir summâ virtute, quidni veniat?

Coelum tonat a latere montis. Quare hinc discessit, quî fit ut illi quiescere non detur, vir summâ virtute, quidni veniat?

Coelum tonat ad radices montis. Quare etc. (ut supra.)

Ode 9.

Pruni Mæi dictae ex arbore deciderunt, nec supersunt in arbore nisi septem. Qui me volunt ex illis, quisquis sit adolescens, debet ille rei perficiendae aptam diem qnaerere.

Pruni Mæi ex arbore deciderunt, nec supersunt nisi tres; qui me volunt ex illis etc. (ut supra).

Prunis Mæi ex arbore excussis impleta sunt canistra. Qui me volunt ex illis, quisquis sit adolescens, diem dicat ille.

Ode 10.

Sidera in coelo jam luce dubia, tres aut quinque ad ortum stellae apparent. Caute incedimus nocte intempestivâ; a mane ad vesperam principi adstamus. Alia sumus vitae conditione, sorte alia.

Stellae jam luce dubia, neque in coelo jam apparent nisi Tsen et Mao illa duo sidera. Nocturno tempore

caute imus. Lodicem et linteum gestamus. Alii alia sunt vitae conditione, sorte alia.

Ode 11.

Fluvius Kiang sua habet brachia, suos habet ramos qui in fluvium unde oriuntur, rursus confluunt. Nobilis haec puella nubit; et meâ operâ, ut videtur, uti recusat, uti recusat; sed hanc postea poenitet.

Fluvius Kiang suas habet insulas. Nubit puella nobilis; nec me secum accipit, non me ducit; sed postea habet in quo acquiescat.

Kiang suas dividit aquas. Puella nobilis, quae nubit, non me vocat, non me vocat; at illa modo suspirat, modo cantat.

Ode 12.

Damas in campis occisos herbâ Mao dictâ involvunt. Quae nuptias meditantur puellas formosi juvenes alliciunt.

In silvis arbusculae et in campis sunt cervi occisi quos herbâ Mao subalbâ involvunt; puellae habent gemmarum instar.

Desine, tibi cave, cave tibi, sudarium meum cave ne attingas, et canem vide ne ad latrandum moveas.

Ode 13.

Quid nobis arridet? flos arboris Tang-ti. Quid oculos omnium et venerationem dulciter sibi conciliat? Currus quos, de familiâ regiâ, Ki princeps filia secum habet in comitatu.

Gens inclyta, ab avo Rege Pin-ouang, a patre regni Tsi regulo clara progenies similis est florum pruni armeniacae et persicae arboris quae mirum in modum placent.

Qui hamo piscantur, quid adhibent? funem ex variis filis connexum, a patre regni Tsi regulo clara progenies; ab avo rege Pin-ouang genus inclytum.

Ode 14.

Luxuriant et firmae stant arundines illae. Uno ictu feriuntur sagittâ quinque apri; ah! quis non miretur Tseou-ju nostrum.

Luxuriat et firma stat herba Pong. Uno ictu, sagittâ feriuntur quinque anniculi (apri). Ah! quis non miretur Tseou-ju nostrum.

Caput 3.

CANTILENAE IN REGNO PII.

Ode 1. 32.

32.

Cupressina cymbâ aquarum arbitrio adhuc relinquitur. Satis patet quod illi quiescere non liceat; illam diceres intus dolere; ego, inquit, deambulo, ego iter facio, non quia vino careo.

Animus non est speculum, quod possit res objectas comprehendere. Fratres mei non ii sunt, quibus possim fidere; si ivero et paucis illos voluero, in illorum iram impingo.

Animus meus non est lapis, qui possit circumagi; non est storea quae possit in se revolvi. Nihil nisi honesti et ad amussim exacti speciem prae me fero, nihil in me vitii quod corrigant.

Moereo et crucior animo; de vili (muliercularum) grege gravissime conqueror: Saepe me contemptam et neglectam vidi, ludibria non pauca patior, injurias non paucas. Apud me sollicitum in modum cogito; et quoties evigilo pectus tundo iterumque tundo.

Sol et luna suas agunt vices et decrescere noverunt. Intimus animi dolor instar habet vestis sordidae: Apud me cogitans in mente volvo et revolvo, sed frustra me ad volandum accingerem.

Ode 2.

Vestis mea exterior viridi est colore; interior autem flava est. Moereo, neque a moerore recreari valeo.

Vestis superior viridi est colore, inferior autem flava est. Crucior animo et quomodo fit ut malorum meorum oblivisci non possim?

Viride sericum, quid tu sic texere aggrederis? Ego vero veterum mores et doctrinam meditabor, quo minus peccem.

Tenuis tela et raro filo texta malè contra ventum adhibetur. Veterum mores meminero, doctrinam meditabor; et meimet compos injurias aequo animo feram.

Ode 3.

Hirundo in aëra motu inaequali fertur. Amicam abeuntem comitandi causa longe ivi: attollens oculos respicio, jam non apparet illa; et ex oculis profundo quasi lacrymarum imbrem.

Hirundo volans modo alta sectatur, modo in ima se proripit. Abeunti amicae comes adfui per viam satis longam: attollens oculos respicio, illa a conspectu meo evanuit; tum stans in fletum erumpo.

Hirundo volans modo summâ, modo imâ voce cantat. Abeunti amicae comes ivi, versùs Austrum, per viam satis longam. Attollens oculos, illa jam non apparet et dolore conficior.

Amica mea Tchong dicta sine fuco erat; sed fide summâ, recti tenax et ad finem usque concordiae studiosa, benigna, et benefacere amans, prudenter et caute se gerens. Me modicae virtutis mulierem hortabatur ad honorem viro meo, qui jam e vivis excessit, praestandum.

Ode 4.

Sol et luna lumine suo terram collustrant. Hic autem homo veterum nostrorum doctrinam deseruit. Quî

fit ut nihil fixi et certi in suo agendi modo habeat, et mei nullam rationem ducat?

Sol et luna terram infra positam lumine suo fovent. Hic autem amice mecum agere recusat. Quid fixi et certi in ipsius agendi modo? Quare erga me ingrato est animo?

Sol et luna ab orientali plagâ prodeunt. De hoc homine quid dicam? nihil habet quod laudem. Quid in illo est fixi et certi? Quomodo mei ita est immemor?

Sol et luna ab orientali plagâ oriuntur. (Quid heu!) parentes mei ad finem usque domi me non aluerunt. Nihil habet fixi homo ille. Nihil mihi obsecundat, me negligit.

Ode 5.

Ventus usque furit. Si me respexerit, ridet, irridet mimus levitate plenus, plenus superbiâ. Ego vero animo crucior.

Flante vento pulverulentus est aër. Est cum bonum erga me animum induere visus ad me venire velit, non tamen venit, non ad me accedit; ego vero animo usque sollicitor.

Flat ventus et coelum est nubilum; intra eumdem diem coelum est nubilum rursusque fit nubilum. Inter decumbendum, mihi non licet dormire; et capitis fluxionem, oculorum et nasi distillationem patior.

Nubilum coelum repetito tonitru personat et reboat. Dormire non possum et mecum cogito.

Ode 6.

Pulsatur tympanum et suum tang-tang personat; insiliendo, circumcursando, arma intentando, jam pugnantium speciem prae se ferunt milites. Alii terrae fodiendae dant operam; alii novam condunt urbem in regione Tsao. Ego solus ad austrum pergo.

Ducis Sun-tsee-tchong operâ jam pax est inter

duo regna, regnum Tchin et regnum Song; nec tamen me sinunt ad meos redire, sic sollicito sum animo.

Dum sedebam, amisi equum meum, quem cùm quaererem eundo, perveni infra sylvam.

Tecum foedus inivi quod violare, sive moriendo sive vivendo, etiamsi procul abfuerimus et invicem disjungamur, nefas erit. Tuas manus in signum mutuae fidei accepi, promittens me tecum ad senium usque velle vivere. Heu! longe exulo, nec mihi vivere licet. Heu me vere infelicem! fide datâ stare non datur.

Ode 7.

Auster almus ventus spinae hujus medullam spirando fovet; sic dumus ille floret ut novus esse videatur. Mater autem nostra curis angitur et in laboribus versatur.

Auster almus ventus dumi hujus ligna spirando fovet. Mater nostra prudentiâ et ingenio praestat; nos vero nullâ virtute homines.

Frons frigidus scaturiens regionis Tsun partem inferiorem alluit. Septem sumus filii, quorum mater curis variis et laboribus premitur.

Dulciter, modulate et voce non interruptâ canit crocea avis Hoang-niao. Nos septem filii parenti nostrae nullo sumus solatio.

Ode 8.

Phasianus volando placido et lento motu agitur: quem autem cogito, eum nullâ de causâ morantur et impediunt.

Phasianus modo sursum tollitur volando, modo deorsum se proripit cantando; vere propter virum sapientem vere crucior animo.

Suspiciens solem et lunam intueor, et mea haec cogitatio menti meae usque obversatur. Viam longam esse aiunt; quid igitur memorant eum advenisse posse.

Quicumque sitis sapientes, ignoratis virtutis colendae rationem. Non quemquam laedere, nullius rem concupiscere, haec duo in omnibus rebus sunt usui et laude digna sunt.

Ode 9. 46?

Cucurbita folia habet amaro gustu. Vadum altiores habet aquas; si profundum sit, illud trajiciunt quin vestem colligant et sursum attollant. Si minùs profundum sit vadum, illud trajiciendo, vestem attollunt (nec pudori consulunt).

Vadum aquis plenum exundat. Phasiana suum canit Niao. Vadum plenum est, nec rotarum axis madefit. Phasiana cantando phasianum postulat.

Anser placide cantat. Mane sol radiare incipit. Qui rite uxorem ducere vult, non opus est ut expectet, dum glacies calore in aquam solvantur.

Portitor ex cymbâ suâ annuit mihi, meque vocat. Trajiciunt alii, ego non; trajiciunt alii, ego non; amicum meum expecto.

Ode 10.

Tenuis et placidus ventus (qui flat ab ortu) nubes colligit, pluviam advehit. Conando et vim sibi faciendo duo sunt et erunt cor unum; non licet simultates esse (conjugibus); irasci non licet. Colligunt herbam Fong, herbam Foei, neque ad herbae imam partem (aut radicem) attendunt. Quamdiu officio meo non defuero, nec virtutem deseruero, tecum vivere ad mortem usque debeo.

Lente incedo, et animus sequi negat, quo pedes me ferunt. Mihi abeunti non nisi ad domi portam processit tantisper comes, via non longa, parva via fuit. Quis herbam Tou amaram dicat, quae Tsi herbae instar dulcis est. Novam ducis uxorem laetus; ut fratres inter vos gaudetis.

Amnis King in amnem Ouei ita confluit ut fiant aquae turbidae; qui tamen aquas in parato loco restagnare curent, limpidae fiunt. Novas nuptias laetus celebras; ego vero tibi sordeo. Ad meum contra aquas aggerem ne accedas, neque meam solvas piscandi arundinem; me retinere tibi non libet, nec futura providere mihi vacat.

Cum fluvius profundus erat, ratem aut cymbam conscendebam; cum autem minus profundus erat, hunc pedibus trajiciebam; haberem necne? conatum adhibebam et quaerebam; quicumque rem funebrem procurandam haberet, eo adrepens, dimisso corpore suppetias ibam.

Amare me non vales, immo pro hoste me habes. Virtutem meam negligis, et sum apud te mercatoris instar, cujus optimas merces nihili aestimant. Me olim alebas miseram, me alebas pauperculam; aluisti quidem, fovisti quidem; sed jam me habes pro veneno.

Apud me servo res optimo sapore, quas paravi hiemem providens; tu autem gaudens novam uxorem ducis, et me ad paupertatem adigis. Vultus tetricos et feroces induis, meque aerumnis cruciandam relinquis, immemor eorum quae olim tibi tot tantaque bona attuli.

Ode 11. 41. 41

Actum est, perii. Quidni revertimur? nisi causa domini esset, quid mihi esset, cum illo rore, quo madefio?

Actum est, perii. Quidni revertimur? Nisi esset rex per se ipse, quid mihi esset cum luto in quo versari cogor.

Ode 12. 42. 42

In Mo-kio monticulo crevit arbuscula Ko et propagines suas longe late que diffundit. O Chou-hi, Pe-hi, (magnates), dies quam multi jam elapsi sunt!

Quid tardant illi? an propter eos qui die dicto adesse debent? Quid moras trahunt illi? an justis de causis? videtur quod ita.

Ex pelle vulpinâ vestes nostrae jam depiles et detritae; non quod currus nostri ad orientem non venerint, sed Chou-hi et Pe-hi (magnates) non agunt nobiscum communem causam (et alium induerunt animum).

Vagi, dispersi, tenuati, debiles facti sumus. Chou-hi autem et Pe-hi, ut surdi solent, ita insulso risu nos excipiunt.

Ode 13.

Agite et genio indulgete, varias saltationes jam exercere juvat. Jam meridiano tempore res prodeat et domino manifesta fiat.

Vir procerâ corporis staturâ alacer in regiis aedibus millies et millies saltat. Tigridem viribus adaequat; et currûs lora in ipsius manibus, ut sericum, mollia fiunt.

Sinistra manu fistulam et dextrâ plumam tenet, sudore madens et rubenti est vultu; principisque jussu ei vina fundunt et vino excipitur.

In montibus est corylus arbor, et in vallibus glycyrrhiza. Quis tandem ille est, quem cogitare incumbit animus? Ille est terrarum occidentalium vir praeclarus et eximius. Vir ille praeclarus et eximius est homo terrarum occidentalium.

Ode 14.

Fons Tsuen-choui scaturiens aquas suas aquis Ki dictis affundit. Regnum Ouei cogito et quotidie sollicita cogito. O venustae puellae, jam inter nos simul deliberare placet.

Cum profecta fuissem, iter faciens diverti et substiti in loco dicto Tsi. Qui me euntem comitabantur in

loco Ni dicto me convivio exceperunt. Ego puella nuptum ivi. Parentes, et patres meos deserens longe abivi. Jam amicas et sorores meas interrogo.

Profecta sum et in loco Kan diversor; qui mihi comites venerunt, in loco Yen convivio me excipiunt. Currus axem oleo inungamus, currum retroagamus, agite eamus. Si in regnum Ouei (patriam meam) iter direxerimus, eritne in eo quidquam mali?

Fontem Fœi-tsuen cogitans alta duco suspiria. Siu et Tsao regiones cogito, et in ejusmodi meditatione usque defigitur animus. Quidni illuc ibo deambulatum, si quo modo possim a curis recreare animum?

Ode 15.

Per septentrionalem portam exeo, et sollicitus animus curis sine modo angitur. Uno verbo dicam, in rerum inopiâ dignitatem meam et decentiam tueri non possum; quantis autem in angustiis verser, ignorant omnes; hoc dixisse satis, id vere coelesti fit consilio; quid (contra) mutire fas est?

Ad principis negotia missus sum. Regni regimen mihi totum incumbit. Si foris veniam et domum ingrediar, domestici mei me certatim maledictis incessunt. Hoc dixisse satis; id vere coelesti fit consilio; quid (contra) mutire fas est?

Principis negotia curae meae incumbunt; universum regimen mihi imponitur. Cum foris veniens ingredior, domestici mei certatim increpant, invicem lacessunt. Hoc dixisse satis; id profecto coelesti fit consilio; quid (contra) mutire fas est?

Ode 16.

Frigidus flat aquilo; pluviae vis magna et nivium. Carissimi amici mei, jungamus dextras et abeamus. Nullus morae datur locus, properemus, properemus.

Strepitu magno flat aquilo; pluvia mixta nive decidit.

Dilecti mei, carissimi mei, junctis dextris simul eamus. Non morari, non tardare licet; festinemus, festinemus.

Nihil nisi subrubras vulpes videmus; nihil nisi nigros corvos; dilecti mei, amici mei, jungamus dextras; eundem currum conscendamus; nihil morandum, nihil tardandum; properemus, properemus.

Ode 17.

Venusta et facilis puella mihi locum condixit urbis angulum, illa me ibi expectare jussit. Hanc desidero, neque apparet, et caput huc et illuc flecto.

Venusta et moribus honestis puella munere me beavit, donum est rubro colore. Quantumvis splendeat illud quod mihi dedit; quod amo sunt puellae praeclarae laudes.

Plantam Y, quam rure collegit, attulit mihi. Certe pulchra est et rara; nihil tamen in hâc plantâ mihi pulchrum videtur, nisi quod ab ejusmodi puellâ mihi data fuerit.

Ode 18.

Nitent novi horti; agger unde patet prospectus et qui recens erectus est, spectantibus arridet. Amnis est qui loca illa ubertim irrigat. Felices nuptiae, quam commode, quàm opportune celebrantur! Canistrum storea est non parum rigida, quam flecti satis difficile est.

Eminet agger ille novus. Aquis in aequo solo leniter fluentibus irrigantur loca illa. Felices nuptiae quam commode celebrantur! Canistrum est, storea est quam flectendi nullus est finis.

Contra pisces retia tenduntur, et ecce tibi anser in retia decidit. Felices nuptiae, quam commode celebrantur! Quem sortior, hic incurvo est corpore nec sursum respicere valet.

Ode 19.

It navis quam illi juvenes ambo conscenderunt, et in aquis vix apparet navis umbra. Hos cogitans anxius

animus non habet quid capiat consilii. — It navis quam *illi* ambo conscenderunt; it, et ecce vix apparet. Frustra hos cogito. Certa est calamitas, quae quomodo vitetur non video.

Caput 4.

CANTILENAE IN REGNO YONG.

Ode 1.

It navis cypressina, in medio flumine movetur. Tonsos habeo capillos, ita tamen ut capillos adhuc habeam hinc et inde in capitis vertice.

Jure jurando fidem adstrinxi meam me ad mortem usque nunquam alteri esse nupturam. Parentis meae, ampla sunt erga me, ut coelum, beneficia, sed aliorum animum dijudicare minus novit.

It navis cypressina secundum fluvii ripam; capillos mihi amputaverunt, capillitio hinc inde relicto in verum signum matrimonii mei. Jure jurando, quod violare nefas esse volui, adstricta, id in me nunquam admittam. Parentis meae etc. (ut supra.)

Ode 2. 63.

Murus habet spinas neque eas averrere licet: haec ligna hosque asseres intus latentes, quis loquetur? Si haec loquamur, abhorrebit audientium animus.

Murus habet spinas quibus purgari non potest. Haec ligna hosque asseres intimos distincte loqui non debemus. Si distincte loquamur, fusiori sermone loquemur.

Murus habet spinas quae convolvi non possunt. Haec ligna hosque intimos asseres quis narrare audeat? Narravisse puderet.

Ode 3. 63.

Debet cum viro suo una simul ad senium usque vivere mulier. Quid tibi, ô mulier, cum tuis pexis capillis et illis aureis laminis, quae in capillos intromissae caput tuum exornant, quid cum illis sex unionibus ad utramque aurem hinc et inde, pendulis. Gravitas tua montium gravitatem imitatur et magnam, sicut fluvius, prae te ferre speciem videris. Secundum morem et vitae suae conditionem vestiri decet; sed tu, malesana mulier, quid ita?

Opere vario pictas et elegantes induis vestes, quas solent illae quae ad solemnia parentalia pergunt. Nigerrimi crines tui et nubium instar habent, falsos crines capiti asciscere nihil est necesse. Aures tuae unionibus concludentur, ex ebore pecten capillitium tuum pectit. Tempora hinc inde sunt tibi eminentia et formam rotundam gerunt; vultus autem tui albedine nitent. Tu primo aspectu coelos (pulchritudine) et imperatorem (majestate) adaequas.

Splendidas induis vestes quas solet illa quae ad regem salutandum ritu solemni adit. Tenui et raro filo sericum vesti interiori imponens vestium facis dubium colorem. Sororis micant oculi, eminent tempora, nitent vultus: ut verè dicam, in toto regno praestat illa mulier pulchritudine..

Ode 4. 67.

Herbam Tang colligo in campis Mœi; interea quem cogito? Venustam puellam Mong-kiang. Lo cum Tsang-tchong mihi dixit, mihi est obvia in loco Chang-kong; et me comitatur usque ad locum Kí-chang.

Triticum ex aristâ depromo in campis Mœi dic

ad partem borealem; interea quem cogito? Venustam puellam Mong-y. Mihi dixit locum Tsang-tchong; adest mihi in loco Chang-kong et me comitatur usque ad locum Hi-chang.

Plantam Fong colligo in campis Mœi ad orientem; interea quem cogito? Venustam puellam Mong-yong. Mihi dixit (etc. ut suprà).

Ode 5.

Coturnices nec non picae aves mas et foemina simul esse solent. Homo autem improbus nobis est pro fratre majore.

Picae et coturnices mas et faemina simul esse solent. Homo autem improbus nobis est pro domino.

Ode 6. 6g.

Sidus Ting jam (vespertino tempore) ad meridianum appellit; sic regionis Tchou aedes regiae construuntur. Solis umbram (solem) dimetiuntur, et regionis Tchou aedes construuntur. Coryli et castaneae conseruntur, nec non arbores aliae Y, aliae Tong, aliae Tsee, aliae Tsi dictae, e quarum ligno conficiuntur fidium instrumenta musica Kin et Che dicta.

Moenia conscendimus, unde regio Tchou est in prospectu. Situm regionis examinamus et locum Tang in regione Tchou suspicientes, consideramus, ex montium umbrâ locorum positionem dijudicamus. In terras infra positas despicimus et campos moris consitos videmus, eosquè diligenter oculis perlustramus. Sortes consulimus; fausta sunt omina; omnia denique nobis vere favent.

Felix et optimus decidit imber et rhedarium jubeo sidera speculari; summo mane exeo, in agro moris consito subsisto. Non suorum tantum utilitati studet homo ille; Vir est animo suoque agendi modo simplex

et gravis. Equos habent septem et amplius pedibus altos numero ter mille.

Ode 7.

Iris ad Orientem apparet, neque eam digito monstrare audent. Puella sic seorsum et longe a parentibus et fratribus, quid ita? Nuptum fortasse abit.

Si mane ad occidentem (Iris) appareat, hoc mane post pluviam, coelum fiet serenum. Puella sic procul a parentibus et fratribus suis, quid ita? est fortasse quod nuptura abeat.

Hujusmodi homines effraenatâ libidine, moribus licentioribus rationis leges et conscientiae dictamen nihil attendunt.

Ode 8.

Murem videmus pellem suam habere. Homines sunt, neque ut homines ratione praediti agunt. Ejusmodi homines quidni e vivis exterminantur?

Murem videmus dentes suos habere. Homines sunt, neque formam habent hominis. Ejusmodi homines quidni e vivis exterminantur?

Murem videmus suum corpus habere. Homines sunt, et sunt humanitatis et rationis expertes. Homines ejusmodi quidni è vivis exterminantur?

Ode 9.

In regionis Tsun finibus micant vexilla Mao dicta (cauda scilicet bovina quae post currum posita et ab hastili pendula pro vexillo est). Currus albo serico circumvolvitur et bigis duabus, non vulgaribus equis trahitur; sed heros noster quomodo gratias referet?

In regionis Tsun quolibet pago micant vexilla Yu dicta (avium nempe picta figura). Albis sericis alligatur et quinque bonisque equis trahitur currus: Sed heros noster quam gratiam praestabit?

In regionis Tsun urbe micant vexilla Tsing dicta

(scilicet avis Ti plumae ab hastili pendulae). Albis sericis nectitur et tribus bigis optimisque equis trahitur currus; sed heros noster quid nuntiabit?

Ode 10.

Citatis equis ad regni Ouei regulum propero. Longum jam fuit iter; et quantumvis itineris fecerim, nondum tamen perveni, sic me ad regionem Tsao iter dirigere velle moneo. Interea regni praefectus de titulo Tai-fou superatis montibus, fluviis trajectis ad me pervenit et animus meus angitur.

Non mihi assentitur praefectus ille et me pergere quo tendo licere negat, ego tamen remeare gradum non possum. Iter meum non placebit, esto ita sentias, sed animus meus non potest ab hâc cogitatione abstrahi. Tu dissentis a me, ego vero regredi et fluvium trajicere minime possum. Iter meum non placebit, esto ita censeas; sed fixum est mihi et ratum, neque a consilio meo desistere possum.

Monticulum conscendit illa et herbam Mang colligit. Puella secum multa volvit animo, sed nihil nisi rectum meditatur. Regni Hiu homines hoc ipsi crimini vertunt, sed imperiti sunt et temerarii.

Campos peragro et ibi sunt segetes quam feraces! Fert animus causam meam ad magnum regem deferre; sed quis indicabit, quis referet? Noli, Tai-fou magnas, cùm sapiens sis, id me accusare. Quascumque artes cogitaveris, abire volo et meliora te consilia sequor.

Caput 5.

CANTILENAE IN REGNO OUEI.

Ode 1.

Aspice rivi Ki dicti ripam; viridantia ejus arundineta recentia et adhuc tenera quam amoena. Splendidus

princeps noster instar habet artificis qui ebur suum secat et sectum limat; item artificis adamantem caedentis et caesum polientis. O quam verendam, quanta majestate, quanto splendore, quanta dignitate speciem prae se gerit ille! Insignem principem, talem sapientem quis unquam oblivisci poterit?

Rivi Ki ripam aspice; viridantia ejus arundineta quam firma luxuriant! Virtutibus suis ornatus princeps noster, cum suis fasciolis ad utramque aurem pendulis et gemmis coruscantibus, quae in ipsius pelliceo pileo dispositae hunc tanquam totidem stellae decorant, quam verendam, quantâ majestatè, quanto splendore, quantâ dignitate speciem prae se fert! (etc. ut supra.)

Rivi Ki ripam aspice; viridantia ejus arundineta quam densa luxuriant! Splendidus princeps ille similis est auri et plumbi (quod igne purgatum nihil faecis jam habet admistum). Similis est sceptri Kouei dicti et sceptri Pi dicti. Magnanimitate et animi moderatione insignis est. In curru Tchong-kiao dicto decore ludit et jocatur, sed nihil ultra modum.

Ode 2.

In vallibus degere gaudet vir sapiens, eumque ex aëre pelvim pulsare juvat. Solus dormit et evigilans, in aeternum, inquit, fidem obstringo meam: Juro, neque unquam immemor ero.

In montis dorso degere gaudet vir sapiens, eumque ex aëre pelvim pulsare juvat. Solus dormit nec comitatus, expergefactus cantat; jurejurando inquit, fidem obstringo meam, quam violare nunquàm licebit.

In campis supra montem positis degere gaudet vir sapiens, eumque ex aëre pelvim pulsare juvat. Attentus est et a suscepto non facilè desistit. Non comitatus dormit et e somno evigilans adhuc decumbens:

in aeternum, inquit, fidem obstringo meam; illud minime evulgabo.

Ode 3.

Epithalamium.

Magna domina corporis altâ est staturâ et splendidas vestes subnigris vestibus contegit. Rege Tsi *) patre nata est; regi Ouei nubit; principis filii haeredis soror est ipso natu minor. Rex Hing ipsius sororem natu majorem duxit uxorem. Princeps Tan-kong ipsius sororem natu minorem duxit uxorem.

Ipsius manus instar habent gemmantis et tenerae plantae; vultus cuticula adipem concretam imitatur. Ipsius collum simile est vermiculorum Tsiou et Tsi dictorum. Dentes habent sicut cucurbitae grana. Capitis tempora sicut cicada, supercilia sicut alatus bombyx. Dulcissime ridet et venustos diducit rictus; oculi ejus nigrâ pupillâ, albo nigroque quam bene distincti!

Ejusmodi domina corporis altâ staturâ praeclarâ oris specie in suburbiis primo sistit gradum. Quadrigâ vehitur. Eunt equi rubris phaleris superbe ornati. (Avis Ti) plumis circumtegitur currus. Regni magnates Tai-fou (ne regem morentur) cito discedunt, nec dominum suum fatigant negotiisque distinent.

Fluvius ingens septentrionales terras cursu perenni alluit. Jaciuntur retia et aquae fit strepitus. Tchan et Ouei pisces monstrosi. Luxuriant junci et in altum excreverunt. Mulieres autem (quae sunt in comitatu), quanto apparatu incedunt; et qui sunt viri (comitatum ducentes) fortium virorum speciem prae se ferunt.

---

*) Tsi unum erat inter varia regna. Ouei alterum erat regnum. Hing tertium etiam regnum. Vide Notas.

Quid tardant illi? an propter eos qui die dicto adesse debent? Quid moras trahunt illi? an justis de causis? videtur quod ita.

Ex pelle vulpinâ vestes nostrae jam depiles et detritae; non quod currus nostri ad orientem non venerint, sed Chou-hi et Pe-hi (magnates) non agunt nobiscum communem causam (et alium induerunt animum).

Vagi, dispersi, tenuati, debiles facti sumus. Chou-hi autem et Pe-hi, ut surdi solent, ita insulso risu nos excipiunt.

Ode 13.

Agite et genio indulgete, varias saltationes jam exercere juvat. Jam meridiano tempore res prodeat et domino manifesta fiat.

Vir procerâ corporis staturâ alacer in regiis aedibus millies et millies saltat. Tigridem viribus adaequat; et currûs lora in ipsius manibus, ut sericum, mollia fiunt.

Sinistra manu fistulam et dextrâ plumam tenet, sudore madens et rubenti est vultu; principisque jussu ei vina fundunt et vino excipitur.

In montibus est corylus arbor, et in vallibus glycyrrhiza. Quis tandem ille est, quem cogitare incumbit animus? Ille est terrarum occidentalium vir praeclarus et eximius. Vir ille praeclarus et eximius est homo terrarum occidentalium.

Ode 14.

Fons Tsuen-choui scaturiens aquas suas aquis Ki dictis affundit. Regnum Ouei cogito et quotidie sollicita cogito. O venustae puellae, jam inter nos simul deliberare placet.

Cum profecta fuissem, iter faciens diverti et substiti in loco dicto Tsi. Qui me euntem comitabantur in

loco Ni dicto me convivio exceperunt. Ego puella nuptum ivi. Parentes et patres meos deserens longe abivi. Jam amicas et sorores meas interrogo.

Profecta sum et in loco Kan diversor; qui mihi comites venerunt, in loco Yen convivio me excipiunt. Currus axem oleo inungamus, currum retroagamus, agite eamus. Si in regnum Ouei (patriam meam) iter direxerimus, eritne in eo quidquam mali?

Fontem Fœi-tsuen cogitans alta duco suspiria. Siu et Tsao regiones cogito, et in ejusmodi meditatione usque defigitur animus. Quidni illuc ibo deambulatum, si quo modo possim a curis recreare animum?

Ode 15. 55.

Per septentrionalem portam exeo, et sollicitus animus curis sine modo angitur. Uno verbo dicam, in rerum inopiâ dignitatem meam et decentiam tueri non possum; quantis autem in angustiis verser, ignorant omnes; hoc dixisse satis, id vere coelesti fit consilio; quid (contra) mutire fas est?

Ad principis negotia missus sum. Regni regimen mihi totum incumbit. Si foris veniam et domum ingrediar, domestici mei me certatim maledictis incessunt. Hoc dixisse satis; id vere coelesti fit consilio; quid (contra) mutire fas est?

Principis negotia curae meae incumbunt; universum regimen mihi imponitur. Cum foris veniens ingredior, domestici mei certatim increpant, invicem lacessunt. Hoc dixisse satis; id profecto coelesti fit consilio; quid (contra) mutire fas est?

Ode 16. 56.

Frigidus flat aquilo; pluviae vis magna et nivium. Carissimi amici mei, jungamus dextras et abeamus. Nullus morae datur locus, properemus, properemus.

Strepitu magno flat aquilo; pluvia mixta nive decidit.

Dilecti mei, carissimi mei, junctis dextris simul eamus. Non morari, non tardare licet; festinemus, festinemus.

Nihil nisi subrubras vulpes videmus; nihil nisi nigros corvos; dilecti mei, amici mei, jungamus dextras; eundem currum conscendamus; nihil morandum, nihil tardandum; properemus, properemus.

Ode 17.

Venusta et facilis puella mihi locum condixit urbis angulum, illa me ibi expectare jussit. Hanc desidero, neque apparet, et caput huc et illuc flecto.

Venusta et moribus honestis puella munere me beavit, donum est rubro colore. Quantumvis splendeat illud quod mihi dedit; quod amo sunt puellae praeclarae laudes.

Plantam Y, quam rure collegit, attulit mihi. Certe pulchra est et rara; nihil tamen in hâc plantâ mihi pulchrum videtur, nisi quod ab ejusmodi puellâ mihi data fuerit.

Ode 18.

Nitent novi horti; agger unde patet prospectus et qui recens erectus est, spectantibus arridet. Amnis est qui loca illa ubertim irrigat. Felices nuptiae, quam commode, quàm opportune celebrantur! Canistrum storea est non parum rigida, quam flecti satis difficile est.

Eminet agger ille novus. Aquis in aeque solo leniter fluentibus irrigantur loca illa. Felices nuptiae quam commode celebrantur! Canistrum est, storea est quam flectendi nullus est finis.

Contra pisces retia tenduntur, et ecce tibi anser in retia decidit. Felices nuptiae, quam commode celebrantur! Quem sortior, hic incurvo est corpore nec sursum respicere valet.

Ode 19.

It navis quam illi juvenes ambo conscenderunt, et in aquis vix apparet navis umbra. Hos cogitans anxius

animus non habet quid capiat consilii. — It navis quam illi ambo conscenderunt; it, et ecce vix apparet. Frustra hos cogito. Certa est calamitas, quae quomodo vitetur non video.

Caput 4.

CANTILENAE IN REGNO YONG.

Ode 1.

It navis cypressina, in medio flumine movetur. Tonsos habeo capillos, ita tamen ut capillos adhuc habeam hinc et inde in capitis vertice.

Jure jurando fidem adstrinxi meam me ad mortem usque nunquam alteri esse nupturam. Parentis meae, ampla sunt erga me, ut coelum, beneficia, sed aliorum animum dijudicare minus novit.

It navis cypressina secundum fluvii ripam; capillos mihi amputaverunt, capillitio hinc inde relicto in verum signum matrimonii mei. Jure jurando, quod violare nefas esse volui, adstricta, id in me nunquam admittam. Parentis meae etc. (ut supra.)

Ode 2. 63.

Murus habet spinas neque eas averrere licet: haec ligna hosque asseres intus latentes, quis loquetur? Si haec loquamur, abhorrebit audientium animus.

Murus habet spinas quibus purgari non potest. Haec ligna hosque asseres intimos distincte loqui non debemus. Si distincte loquamur, fusiori sermone loquemur.

Murus habet spinas quae convolvi non possunt. Haec ligna hosque intimos asseres quis narrare audeat? Narravisse puderet.

Ode 3. 63.

Debet cum viro suo una simul ad senium usque vivere mulier. Quid tibi, ô mulier, cum tuis pexis capillis et illis aureis laminis, quae in capillos intromissae caput tuum exornant, quid cum illis sex unionibus ad utramque aurem hinc et inde, pendulis. Gravitas tua montium gravitatem imitatur et magnam, sicut fluvius, prae te ferre speciem videris. Secundum morem et vitae suae conditionem vestiri decet; sed tu, malesana mulier, quid ita?

Opere vario pictas et elegantes induis vestes, quas solent illae quae ad solemnia parentalia pergunt. Nigerrimi crines tui et nubium instar habent, falsos crines capiti asciscere nihil est necesse. Aures tuae unionibus concludentur, ex ebore pecten capillitium tuum pectit. Tempora hinc inde sunt tibi eminentia et formam rotundam gerunt; vultus autem tui albedine nitent. Tu primo aspectu coelos (pulchritudine) et imperatorem (majestate) adaequas.

Splendidas induis vestes quas solet illa quae ad regem salutandum ritu solemni adit. Tenui et raro filo sericum vesti interiori imponens vestium facis dubium colorem. Sororis micant oculi, eminent tempora, nitent vultus: ut verè dicam, in toto regno praestat illa mulier pulchritudine.

Ode 4. 67.

Herbam Tang colligo in campis Moei; interea quem cogito? Venustam puellam Mong-kiang. Locum Tsang-tchong mihi dixit, mihi est obvia in loco Chang-kong; et me comitatur usque ad locum Ki-chang.

Triticum ex aristâ depromo in campis Moei dictis

ad partem borealem; interea quem cogito? Venustam puellam Mong-y. Mihi dixit locum Tsang-tchong; adest mihi in loco Chang-kong et me comitatur usque ad locum Ki-chang.

Plantam Fong colligo in campis Mœi ad orientem; interea quem cogito? Venustam puellam Mong-yong. Mihi dixit (etc. ut suprà).

Ode 5.

Coturnices nec non picae aves mas et foemina simul esse solent. Homo autem improbus nobis est pro fratre majore.

Picae et coturnices mas et faemina simul esse solent. Homo autem improbus nobis est pro domino.

Ode 6. 68.

Sidus Ting jam (vespertino tempore) ad meridianum appellit; sic regionis Tchou aedes regiae construuntur. Solis umbram (solem) dimetiuntur, et regionis Tchou aedes construuntur. Coryli et castaneae conseruntur, nec non arbores aliae Y, aliae Tong, aliae Tsee, aliae Tsi dictae, e quarum ligno conficiuntur fidium instrumenta musica Kin et Che dicta.

Moenia conscendimus, unde regio Tchou est in prospectu. Situm regionis examinamus et locum Tang in regione Tchou suspicientes, consideramus, ex montium umbrâ locorum positionem dijudicamus. In terras infra positas despicimus et campos moris consitos videmus, eosque diligenter oculis perlustramus. Sortes consulimus; fausta sunt omina; omnia denique nobis vere favent.

Felix et optimus decidit imber et rhedarium jubeo sidera speculari; summo mane exeo, in agro moris consito subsisto. Non suorum tantum utilitati studet homo ille; Vir est animo suoque agendi modo simplex

et gravis. Equos habent septem et amplius pedibus altos numero ter mille.

Ode 7.

Iris ad Orientem apparet, neque eam digito monstrare audent. Puella sic seorsum et longe a parentibus et fratribus, quid ita? Nuptum fortasse abit.

Si mane ad occidentem (Iris) appareat, hoc mane post pluviam, coelum fiet serenum. Puella sic procul a parentibus et fratribus suis, quid ita? est fortasse quod nuptura abeat.

Hujusmodi homines effraenatâ libidine, moribus licentioribus rationis leges et conscientiae dictamen nihil attendunt.

Ode 8.

Murem videmus pellem suam habere. Homines sunt, neque ut homines ratione praediti agunt. Ejusmodi homines quidni e vivis exterminantur?

Murem videmus dentes suos habere. Homines sunt, neque formam habent hominis. Ejusmodi homines quidni e vivis exterminantur?

Murem videmus suum corpus habere. Homines sunt, et sunt humanitatis et rationis expertes. Homines ejusmodi quidni è vivis exterminantur?

Ode 9.

In regionis Tsun finibus micant vexilla Mao dicti (cauda scilicet bovina quae post currum posita et ab hastili pendula pro vexillo est). Currus albo serico circumvolvitur et bigis duabus, non vulgaribus equis trahitur; sed heros noster quomodo gratias referet?

In regionis Tsun quolibet pago micant vexilla Yu dicta (avium nempe picta figura). Albis sericis alligatus et quinque bonisque equis trahitur currus: Sed heros noster quam gratiam praestabit?

In regionis Tsun urbe micant vexillà Tsing dicta

(scilicet avis Ti plumae ab hastili pendulae). Albis sericis nectitur et tribus bigis optimisque equis trahitur currus; sed heros noster quid nuntiabit?

Ode 10.

Citatis equis ad regni Ouei regulum propero. Longum jam fuit iter; et quantumvis itineris fecerim, nondum tamen perveni, sic me ad regionem Tsao iter dirigere velle moneo. Interea regni praefectus de titulo Tai-fou superatis montibus, fluviis trajectis ad me pervenit et animus meus angitur.

Non mihi assentitur praefectus ille et me pergere quo tendo licere negat, ego tamen remeare gradum non possum. Iter meum non placebit, esto ita sentias, sed animus meus non potest ab hâc cogitatione abstrahi. Tu dissentis a me, ego vero regredi et fluvium trajicere minime possum. Iter meum non placebit, esto ita censeas; sed fixum est mihi et ratum, neque a consilio meo desistere possum.

Monticulum conscendit illa et herbam Mang colligit. Puella secum multa volvit animo, sed nihil nisi rectum meditatur. Regni Hiu homines hoc ipsi crimini vertunt, sed imperiti sunt et temerarii.

Campos peragro et ibi sunt segetes quam feraces! Fert animus causam meam ad magnum regem deferre; sed quis indicabit, quis referet? Noli, Tai-fou magnas, cùm sapiens sis, id me accusare. Quascumque artes cogitaveris, abire volo et meliora te consilia sequor.

Caput 5.

CANTILENAE IN REGNO OUEI.

Ode 1.

Aspice rivi Ki dicti ripam; viridantia ejus arundineta recentia et adhuc tenera quam amoena. Splendidus

princeps noster instar habet artificis qui ebur suu secat et sectum limat; item artificis adamantem ca dentis et caesum polientis. O quam verendam, quan majestate, quanto splendore, quanta dignitate specie prae se gerit ille! Insignem principem, talem sapie tem quis unquam oblivisci poterit?

Rivi Ki ripam aspice; viridantia ejus arundine quam firma luxuriant! Virtutibus suis ornatus prince noster, cum suis fasciolis ad utramque aurem pendu et gemmis coruscantibus, quae in ipsius pelliceo pil dispositae hunc tanquam totidem stellae decorant, qua verendam, quantâ majestate, quanto splendore, quar dignitate speciem prae se fert! (etc. ut supra.)

Rivi Ki ripam aspice; viridantia ejus arundine quam densa luxuriant! Splendidus princeps ille simi est auri et plumbi (quod igne purgatum nihil fae jam habet admistum). Similis est sceptri Kouei di et sceptri Pi dicti. Magnanimitate et animi mode tione insignis est. In curru Tchong-kiao dic decore ludit et jocatur, sed nihil ultra modum.

Ode 2.

In vallibus degere gaudet vir sapiens, eumque aëre pelvim pulsare juvat. Solus dormit et evigila in aeternum, inquit, fidem obstringo meam: Ju neque unquam immemor ero.

In montis dorso degere gaudet vir sapiens, eumq ex aëre pelvim pulsare juvat. Solus dormit nec con tatus, expergefactus cantat; jurejurando inquit, fide obstringo meam, quam violare nunquàm licebit.

In campis supra montem positis degere gaudet v sapiens, eumque ex aëre pelvim pulsare juvat. A tentus est et a suscepto non facilè desistit. Non con tatus dormit et e somno evigilans adhuc decumben

in aeternum, inquit, fidem obstringo meam; illud minime evulgabo.

Ode 3.

Epithalamium.

Magna domina corporis altâ est staturâ et splendidas vestes subnigris vestibus contegit. Rege Tsi *) patre nata est; regi Ouei nubit; principis filii haeredis soror est ipso natu minor. Rex Hing ipsius sororem natu majorem duxit uxorem. Princeps Tan-kong ipsius sororem natu minorem duxit uxorem.

Ipsius manus instar habent gemmantis et tenerae plantae; vultus cuticula adipem concretam imitatur. Ipsius collum simile est vermiculorum Tsiou et Tsi dictorum. Dentes habent sicut cucurbitae grana. Capitis tempora sicut cicada, supercilia sicut alatus bombyx. Dulcissime ridet et venustos diducit rictus; oculi ejus nigrâ pupillâ, albo nigroque quam bene distincti!

Ejusmodi domina corporis altâ staturâ praeclarâ oris specie in suburbiis primo sistit gradum. Quadrigâ vehitur. Eunt equi rubris phaleris superbe ornati. (Avis Ti) plumis circumtegitur currus. Regni magnates Tai-fou (ne regem morentur) cito discedunt, nec dominum suum fatigant negotiisque distinent.

Fluvius ingens septentrionales terras cursu perenni alluit. Jaciuntur retia et aquae fit strepitus. Tchan et Ouei pisces monstrosi. Luxuriant junci et in altum excreverunt. Mulieres autem (quae sunt in comitatu), quanto apparatu incedunt; et qui sunt viri (comitatum ducentes) fortium virorum speciem prae se ferunt.

---

*) Tsi unum erat inter varia regna. Ouei alterum erat regnum. Hing tertium etiam regnum. Vide Notas.

Ode 4.

Imperitus quidam sericum telâ permutavit; venit quidem non quod revera sericum permutare vellet, sed me adire et me rogare voluit. Eunti comes ivi, amnem Ki trajeci et ad regionem Tun-kiou perveni. Fidem non violavi, sed nuptiarum peritâ conciliatrice caruit ille; illi dixi ut ne succenseret, autumnum enim tempus condixeram.

Parietis rudera conscendo, unde in locum Fou-Kouan conjiciam oculos, sed frustra, non apparet locus ille, sic in fletus erumpo. Jam locus apparet, ego rideo et meus talis est sermo: augurare tu, testudinem et herbam Tche dictam ad auguria adhibe; nisi quidquam sit minus fausto omine, currum conscende, veni, meaque alio transfer.

Mori folia antequam decidant, jucundo sunt aspectu. Avis Kiou, ah! parce mori fructus comedere. Mulier, ah! noli viro familiarius uti. Vir qui licentius vivit, potest adhuc se inde extricare; mulier autem quae licentius vivit non potest inde se expedire.

Flavescunt mori folia et decidunt. Ex quo ad te veni, tres sunt anni, cum in victus penuriâ versor et victu modico utor. Quibus abundat amnis Ki, aquis madefit pannus, quo rheda circumtegitur. Officio suo non defuit mulier, sed vir alios ac deberet induit mores. Vir nullum modum servat, et nihil sibi constans, alios ex aliis induens animos perverse agere non cessat.

Tres annos fui tibi in uxorem et rei domesticae labores ultro in me suscepi. Bene mane surgebam et vix nocte dormire vacabat. Dicta (tua) perfeci et in iras (tuas) incidi. Fratres mei hujus rei nescii me cavillis et risu exceperunt; ego vero apud me cogitans dolore crucior.

Ad senium usque tecum una simul vivere certum erat; et ecce me ad senium usque querimonias protrahere compellis. Amni Ki sua est ripa. Campi in valle positi, fluvio adjacentes suum habent aquae et littoris discrimen. Cum primum selecta et relicta tibi fui in uxorem, magnâ animorum concordiâ et vitae dies felices ducebamus, fidem mihi tuam sine ambagibus obstrinxeras. Ista tua animi mutatio mihi certe improvisa venit; inexpectata accidit haec rerum conversio. Quis tandem erit finis?

Ode 5. 78.

Gracilem et acutam arundinem piscatores adhibent in amne Ki. Quî fieri potest, ut te non cogitem? Sed longe abes, neque ire ad te licet.

Fons ad sinistram et amnis Ki ad dextram situs est. Est fortasse ut puella nuptum eat, quae a parentibus et fratribus suis procul discessit.

Amnis Ki ad dextram et fons ad laevam positus est. Blande ridet et niveos dentes detegit; in splendidis vestibus, gemmis et zonâ suspensis magnifice incedit.

Amnis Ki aquas eundo volvit suas. Ex Kouai ligno contos, ex pineo ligno naves construunt. Deambulatum exeo, si possim a curis recreare animum.

Ode 6. 76.

Planta Ouan-lan suos habet surculos. Puer suam ostentat ex ebore fibulam zonae suae appensam, quâ fibulâ nodos resolvunt; quam licet secum circumferat ad latus suspensam, non me tamen rerum prudentiâ vincit; inconsideratus est in suo agendi modo, et qua cingitur zonam deorsum pendere sinit.

Ouan-lan plantae sua sunt folia, puer suum gerit annulum. Suum licet gerat annulum, non me rerum agendarum facultate superat. Inconsideratus est in (etc. ut supra).

Ode 7.

Quis amnem latum esse dicat, qui juncis adhibitis trajici potest? Quis dicat regnum Song procul hinc distare, quod oculis deprehenditur ejus, qui in pedes arrectus, versus illam partem conjicit oculos.

Quis amnem latum esse dicat, cujus intercapedo parvam cymbam capere non potest? Quis dicat Song regnum longe abhinc distare, ad quod itur citius uno mane?

Ode 8.

Pe-hi meus est fortis et inter totius regni viros virtute (militari) longe praestat. Pe-hi meus hastam gerit et regi praeit armiger.

Ex quo Pe-hi meus ad Orientem abivit, squalleo sparsis et inconcinnis capillis, floccos diceres quos ventus ex plantis deciduos in auras ventilat. Numquid unguenta desunt, (quibus caput inungam) sed cui placendi causâ hos mihi lepores arcesserem? hos ornatus adhiberem?

Utinam pluat, atque utinam pluat! Sed ecce sol micat ex nube se emergens. Pe-hi meum cogitanti mihi caput dolet: Dolet quidem, at dolor ille animo meo dulcis est.

Undenam obtinebo plantam obliviosam? Sata est illa in domi meae septentrionali corte (hanc sino plantam) et Pe-hi meum cogitare juvat, qui meum cruciet animum.

Ode 9.

It vulpes sola et mas foeminam quaerit. Supra rupem ex aquâ extantem sedet illa vulpes in amne Ki. Cruciatur animus et vir ille non habet vestem, quae corpus parte inferiori tegat.

It vulpes sola et mas foeminam quaerit. In vado amnis Ki versatur. Angitur animus et vir ille discinctus est.

It vulpes sola mas foeminam quaerens. Stat in amnis Ki littore. Animus angitur, hic vir non vestes induit.

Ode 10. 80.

Mala Cydonia mihi projecisti. His gemmis Ku dictis gratiam pro tuis muneribus referam; non ut par pari reddam (has tibi gemmas offero), sed ut meum tibi testificer animum, qui amicitiae jura nunquam violare certus sum.

Mala persica mihi projecisti. Has tibi gemmas Yao dictas offero, pro fructibus quibus me donasti; non ut par pari referam, sed quod amicitiae jura nunquam violare certus sum.

Pruna mihi projecisti. Has igitur tibi gemmas Kio dictas offero; non ut par pari referam, sed quòd amicitiae jura nunquàm violare fixum habeam et deliberatum.

Caput 6.

CANTILENAE IN REGNO QUOD IMPERATORI PROXIME SUBJACEBAT DECANTATAE.

Ode 1.

Hic sunt milii Chou-tse dicti aristae inverso deorsum vertice. Hic sunt milii Tsi dicti germina quae nondum in segetem adolevêre. Haec percurramus loca, nihil tamen properando; interea cruciatur et anxius fit animus, sedeque suâ dimoveri videtur cor meum. Qui me norunt, me anxium dicunt; qui me nesciunt, quid mihi velim quaerunt. Sed vos, caerulei coeli, a nobis dissiti, testor. Quis tandem hunc rerum statum adduxit?

Hic videre est milii Chou-tse aristas inverso deorsum apice; hîc etiam sunt milii Tsi aristae. Hanc viam eundo nihil festinare libet; interea tamen animus instar habet hominis vino madidi. Qui me norunt etc.

Hic cerno milii Chou-tse inverso apice aristas. Hic sunt milii Tsi segetes quae jam in semina exiêre. Hanc imus viam, sed nihil properato opus. Interea animus similis est hominis qui anhelo pectore vix spiritum ducere potest. Qui me norunt etc. (ut supra).

Ode 2. 81.

Vir sapiens negotia curat, et quem dixerit diem ignoro. Quando tandem veniet ille? Jam gallina suum in pariete foramen adit; jam sol vergit ad occasum et bos ovisque ad suas caulas descendit. Dum vir sapiens agit negotia, quomodo eum non cogitarem?

Vir sapiens negotia gerit; quolibet die, quovis mense negotiis distinetur. Quandonam ipsum revisere licebit? Jam gallina solitas scalas somno suo paratas petit; jam sole ad occasum vergente bos ovisque ad suas caulas descendunt. Vir sapiens negotia curat: ego vero quando tandem potero a fame, a siti (quam patior,) libera fieri?

Ode 3.

Vir sapiens, jam hilaris et alacer, voti compos factus, sinistrâ tenet fistulam, dextrâ autem mihi in cubiculum venire innuit et gaudet.

Vir sapiens, hilaris et alacer, sinistrâ tenet plumam; dextrâ autem mihi in saltantium chorum venire innuit et gaudet.

Ode 4. 81.

Lente fluit aqua, ita ut fluendo religatum lignum secum non auferat. Puella non hîc in regno Chin, ubi ago excubias. Eam cogito, eam cogito. Quo tandem mense ad meos redibo?

Lente fluit aqua, ita ut religatam spinam secum non auferat. Puella non hic mecum in regione Fou ubi ago excubias. Eam cogito etc. (ut supra).

Lente fluit aqua, ita ut religata vimina secum non

auferat. Puella non hic mecum in regione Hiu ubi ago excubias. Eam cogito etc. (ut suprà).

Ode 5.

In vallibus planta Toui aruit et jam sine succo facta est. Mulier (a viro suo) divellitur et discedens suspirat, heu! suspirat, quod hominum aetatem usque eo infelicem vivat.

In vallibus planta Toui aret sine humore. Mulier discedit et dissociatur, altaque ex imo pectore suspiria trahit; alta suspiria trahit, quod hominum aetatem boni omnis expertem vivat.

In vallibus planta Toui humefacta, macra tamen et sine succo. Mulier divellitur, et discedens gemit et lamentatur. Gemit illa et lamentatur; sed quid prosunt suspiria?

Ode 6.

Lepores sine strepitu et sibi cavent. Phasiani autem in retia decidunt. Cum vivere incoepi, res adhuc erant bono statu. Sed post natales meos sexcenta ingruere infortunia; superest ut nos somno demus nec moveamur.

Lepus nullo strepitu, sed sibi cavet. Phasianus vero in laqueos decidit. Cum primum in vivis esse incoepi, res adhuc intentata erat; sed post natalitia mea ingruerunt nobis sexcenta hujus modi infortunia. Jam superest ut dormiamus neque evigilemus.

Lepus sine strepitu cavet sibi et phasianus in retia cadit. Cum primum vivere coepi, res adhuc erant sine molestiâ. Sed natales meos haec mala innumera secuta sunt; restat ut dormiamus neque audiamus.

Ode 7.

Quam late serpit humi planta Ko juxta rivos et fluvios. A fratribus longissime absum, aliumque ag-

novi in patrem. Alium hominem habeo pro patre, sed nihil ille me curat.

Late serpit planta Ko juxta rivos et fluvios. A fratribus longissime absum et aliam habeo pro matre, aliam habeo pro matre; sed illa me nescit.

Late serpit planta Ko juxta rivos et fluvios. Longissime absunt fratres mei, et alium habeo pro fratre majore. Alium habeo pro fratre majore, sed ille me prorsus negligit.

Ode 8. 86.

Ibi colligit plantam Ko, et si unâ die conspectu ejus caruerit, illa una dies est pro tribus mensibus.

Ibi colligit plantam Siao; si unâ die conspectu ejus caruerit, illa una dies est pro tribus autumnis.

Ibi colligit herbam artemisiam; sin autem vel unâ die conspectu ejus fraudetur, haec una dies est pro tribus annis.

Ode 9. 87.

Magnus currus strepit et suum Kien kien resonat. (Qui sedet in curru) vestes induit Soui dictas, quae recentium juncorum colorem imitantur. Quomodo te non cogitarem? Sed hunc vereor virum nobilem, neque audeo.

Magnus currus lente trahitur. (Qui curru vehitur) vestes induit, quae gemmae Men dictae colorem rubrum imitantur. Quomodo te non cogitem? Sed hunc vereor virum nobilem, nec licet ad te ire.

Quandoquidem tecum una simul degere non liceat, in uno tecum volo post mortem jacere sepulchro. Si me fidem violavisse dicas, solem testor, et quem habet splendorem luminis, eum testem esse volo.

Ode 10. 87.

In mediis collibus crescit planta cannabis. Est fortasse ut morentur meum Tsee - tsue; est fortasse ut ibi-

morentur meum Tsee-tsue; atque utinam veniat ille et gaudeat.

In mediis collibus sunt segetes; nonne illic morantur meum Tsee-koue? Nonne illic morantur meum Tsee-koue? Atque utinam huc veniat et apud me coenet.

In mediis collibus sunt pruni. Illos ibi fortasse morantur, illos ibi fortasse morantur. Illos vellem dare mihi gemmas, quas a latere meo utrimque appensas gestarem.

Caput 7.

CANTILENAE IN REGNO TCHING.

Ode 1. 89.

Nigram vestem induunt quam accommodate; cum detrita fuerit, aliam vestem conficiam. Viri nobilis domum peto et revertor ut nobili viro fercula ministrem.

Nigram vestem induisse decet, quae cum detrita fuerit, novam ego consuam. Viri nobilis domum peto, redeo autem ut viro nobili coenam ministrem.

Nigra vestis, vestis splendida. Si deteratur, novam parabo. Eo in viri nobilis domum et redeo ut viro nobili escas apponam.

Ode 2. 88.

O Tchong-tsee, quod te oro, ah! noli per pagum nostrum transire; vimina quae consevimus, frangere abstine. Quomodo te amare ausim? parentes meos vereor. Sed tu, o Tchong-tsee, tecum cogita et vide. Parentum meorum verba certe vereri debeo.

O Tchong-tsee, quod te oro, ah! noli murum nostrum conscendere; quas consevimus moros frangere abstine. Quomodo te amare ausim? Sed fratres nostros majores vereor. O Tchong-tsee, tecum cogita et vide. Fratrum majorum verba certe vereri debeo.

O Tchong-tsee quod te oro, ah! noli horti i septum transire, quas plantavimus arbores Tan gere abstine. Quomodo te ausim amare? Sed i ne alii plura quam vellem loquantur. O Tchong-tur tecum repùta. Hominum sermones nimios cert reri debeo.

Ode 3. 91.

Chou (vir primarius) exit venatum et nemo in pago; numquid nemo adest? Ibi adsunt qu sed cum Chou (viro primario) minime sunt confer tantus est hujus oris splendor, tanta probitas, ber tas tanta.

Chou exit venatum et nemo est in pago qui l Numquid nemo est qui bibat? Sunt quidem qui bi sed cum nostro Chou minime sunt conferendi. T est hujus oris dignitas, tantus decor.

Chou it rus neque in pago jam sunt qui equ Numquid revera nemo est qui equitet? Sunt qu sed cum Chou nostro minimo sunt conferendi; est hujus oris venustas, tantus splendor.

Ode 4. 91.

Chou (vir primarius) it venatum; quadrigâ veh currûs lora in ejus manibus, sicut serica fila, ita lia fiunt. Qui currui junguntur duo equi, lor temone hinc inde dissiti, quasi choreas agendo n latim incedunt. Chou noster in loco herbis sca versatur, tunc ignes accendit, flammaque undiq mul exsurgit et fertur in aëra. Nudato pectore tig complectitur quas in principis aedes defert et pri offert. At noli sic proludere; timendum ne damn id fiat.

Chou it venatum, equis quatuor vehitur, qu duo in medio tractorii altitudine et magnitudine i nes currui junguntur; duo alii equi adjutores ad

utrimque positi ex ordine et aequali motu procedunt. Chou noster in loco herbis scatente versatur, tunc ignes accendit et flamma simul fertur in aëra. Chou arcum tractandi, currum regendi artem optime callet. Modo equis habenas permittit et adducit, modo fibulam apponit et sagittam accipit.

Chou it venatum; quatuor albo et mixto colore equis vehitur; qui in medio sunt equi tractorii horum capita ex aequo feruntur; Reliqui duo hinc inde ad latus positi, aliis equis videntur esse pro humeris. Chou noster in loco silvestri herbis scatente versatur, tunc ignes accendit, et flamma simul exsurgens in aëra circumfertur. Chou nostri equus lento it gressu; jam sagittas mittere desinit, modo pharetram aperit, modo arcum suum recondit.

Ode 5. 93.

(Urbis) Tsing dictae homines in loco Pong versantur. Usque agunt currus suos, quadrigas nempe, quarum equi loricati eunt. Binis jaculis instructi eunt, et ex summo jaculo rubros floccos alios ex aliis extantes suspensos gerunt. Juxta fluvium degunt ludentes.

Tsing (urbis) homines in loco Siao versantur; cum suis quadrigis militarem speciem prae se ferunt. Ipsorum bina jacula bino ferro instructa sunt. Juxta fluvium ambulant illi.

Tsing urbis homines in loco Tchao versantur. Cum suis quadrigis genio indulgent, genio indulgent suo. Qui (in curru) ad sinistram sedet, ille currum retroagit; qui autem ad dextram, ille nudat enses. Dux militum spectator plaudit.

Ode 6. 92.

Ex pelle agninâ vestis, quasi si nativum succum adhuc retineret, ita tactu mollis est et pulchra. Vir ille recti tenax et sibi constans ab illo qui fuit non mutatur.

Ex pelle agninâ tunicae limbus est ex pelle pardi, (quae bellua) in primis ferox et viribus praestat. Vir ille regni administer, aequi observantissimus.

Ex pelle agninâ conficitur nova toga, et triplici serico quam belle distincta est! Vir ille est regni decus et ornamentum.

Ode 7. 94.

Magnam sequor viam eundo. Viri manicam vestis arripio, neque e manibus elabi patior. Noli a me averso esse animo et pristina noli negligere.

Regiam sequor viam eundo, et viri manum arripio. Noli mihi infenso esse animo et amicitiam noli abjicere.

Ode 8. 95.

Gallus cantavit, ait mulier. Vir autem, adhuc, inquit, sunt tenebrae, necdum illuxit dies. Surge et ito coelum exploraturus. Jam ortus est Lucifer. Abeundi tempus instat, abeundi tempus instat; sed (abeundo) anseres et anates sagittis confodito.

Sagittas tuas emisisti, nec frustraneo ictu, et res ex voto successit. Vinum bibamus et una simul agamus nostros vitae dies. Si fidium Kin et Che musica instrumenta concordant, nihil profecto dissoni, nihil quod auribus minus arrideat.

Amicis tuis venientibus gemmas offerto, quas hinc inde zonae appensas gerant. Benevolis amicis tuis salutem da, eos ejusmodi gemmis excipiens. Intimis amicis tuis has gemmas offerens repende gratiam.

Ode 9. 95.

Mulier eodem curru vehitur. Ipsius oris color floris quem fert arbor Chun colorem imitatur. Sese movendo gemmarum et unionum zonae appensorum strepitum ciet. Illa est venusta Mong-kian, pulchritudine et oris dignitate praestans.

Mulier idem pergit iter; ipsius oris color floris

Chun colorem imitatur. Cùm illa movetur, gemmarum quas ad latus gerit strepitam audire juvat. Illa est amabilis Mong-kian, cujus virtutem laudesque egregias nunquam obliviscemur.

Ode 10.

Montes arbusculas ferunt, et valles plantam Nympheam cum suis floribus. Tsee-tou meus non apparet; qui autem hîc adest vir, est naturâ levis tenuique ingenio.

Montes pinos ferunt quae in vertice tantum ramos gerunt suos; et in vallibus est planta Yeou-long dicta. Tsee-tchong meus non apparet; apparet autem puer ille nebulo et versutus.

Ode 11.

Flans ventus tua, ô arbor, folia decidua concutit. O mi Chou-hi, ô mi Pe-hi, si mihi obsequaris, ego tibi morem geram.

Folia tua, ô arbor, cadere incipiunt, cadere incipiunt, et vento es ludibrio. Mi Chou-hi, mi Pe-hi, si mihi obsequaris, ego me tibi dedam.

Ode 12.

Puer ille nebulo mecum colloqui negat. Propter te ego non comedo. Puer ille nebulo jam meus esse conviva negat; propter te ego inquieto sum animo.

Ode 13.

Si me amas, si adhuc de me cogitas, collectis sursum vestibus vadum Tchin trajice. Si minus de me cogites, numquid mihi deerit alter? Nonne puer inconsultus fies?

Si me amabis, si de me adhuc cogitaveris, vestes tuas attollens, vadum Ouei transmea. Si minus de me cogites, numquid mihi etc. (ut supra).

Ode 14.

Vir quidam curatâ cute me manebat extra portam; quod eum sequi noluerim, id iniquo fert animo.

Vir quidam oris dignitate praestans me expectabat in atrio; quod eum adire noluerim, id fert aegerrime.

Lento colore vestis splendidis vestibus superponitur; vestis vulgaris vesti magnificae imponitur. Chou-hi, Pe-hi currui junxit equos, me in curru sedere voluit et simul proficiscimur.

Lento colore vestis etc. (ut supra).

Ode 15. 100.

Ad portam urbis orientalem complanata est via. Planta You-lu juxta rivos crescit. Domus est quidem in vicinia; sed domi dominus longissime abest.

Ad portam urbis orientalem sunt castaneae arbores et variae aedes aliae ex aliis ex ordine positae cum suis atriis. Quomodo te non cogitem? Sed tu me convenire fortasse non vis.

Ode 16. 99.

Lenis flat ventus ac tenuis decidit imber. Gallus suum Kie-kie cantat. Cum virum sapientem videre jam detur, quomodo curas non deponerem?

Flat ventus et simul decidit imber; ventusque et pluvia suum Siao-siao ingeminant; Gallus autem suum Kiao-kiao. Cum jam viri sapientis conspectu fruar, quomodo jam non mihi bene esset?

Flat ventus, decidit imber et coelum est tenebricosum. Usque cantat gallus. Cum jam viri sapientis conspectu fruar, quomodo non gauderem?

Ode 17. 100.

Viri hujus vestes limbum superiorem habent nigro, nigro colore. Animus meus in meditatione usque defigitur. Quantum video, ego non ibo; sed quamvis non vadam, nonne poteris mihi dare nuntium?

Nigrâ, nigrâ zonâ vir ille cingitur. Animus in meditatione usque defigitur. Quantum video, ego non ibo; licet autem non eam, vir ille nonne poterit venire?

Saltando, tripudiando in urbis turre versatur ille; qui si unâ die non appareat, haec una dies est pro tribus mensibus.

O d e 18. /103.

Placido cursu fluens aqua secum non abripit fluendo spinarum fasciculum. Conjunctissimis animis fratres non alii sunt quam ego et tu. Noli variis rumoribus fidem dare. Homines vere te decipiunt, de hoc ne dubites.

Placido cursu fluens aqua secum non abripit lignorum fascem. Conjunctissimis animis fratres non alii sunt quam nos ambo. Noli aliorum verbis credere; illi certe fidem non merentur.

O d e 19. /02.

Extra portam urbis orientalem sunt mulieres quas nubem esse diceres. Licet nubis instar habeant, quid mihi est cum illis, ipsarum pulchritudo quae nubem imitatur, quid ad me? (uxor mea) cum suis albo colore vestibus, cum suo viridi velo (vilique habitu) mihi satis esse potest ut beate vivam.

Extra portam urbis turritam sunt mulieres quae floris ad instar (pulchritudine praestant); floris licet sint similes; mulieres ejus modi quid ad me? Uxor mea, vestes albas, aut herba You-lu tinctas vestes induat licet, satis esse potest ut ego cum ipsâ simul beate vivam.

O d e 20. /01.

Rure sunt plantae quae humi late serpunt; multo rore guttatim conspersae micant. Pulchritudine praestat, cujus nomen taceo, hujus supercilia plena decore. Ambo convenimus, non tamen ex condicto; et mihi morem gessit.

Rure sunt plantae quae humi late serpunt, multo rore guttatim sparso micant. Venustus est cujus nomen

taceo, hujus supercilia maxime arrident. Nos invicem occurrimus, non tamen ex condicto et ambo voti compotes facti sumus.

Ode 21.

Solvuntur glacies et amnes Tchín et Ouei jam fluere incipiunt. Jam vir et mulier prae manibus tenent florem Lan dictum. Quidni ibo visura, aït mulier. Jàm ego iveram, reponit vir, rursus ibo visurus. Ultra amnem Ouei est hominum concursus, ibi genio indulgent, festosque agunt dies. Viri et mulieres ibi ludunt et alter alteri flores paeonias offert.

Amnes Tchin et Ouei alti sunt et limpidi. Mulieres et viri quàm frequentes adsunt! Ibone visura? aït mulier. Jam iveram, reponit vir, sed rursus visurus ibo. Ultra amnem etc. (ut supra).

CAPUT 8.

CANTILENAE IN REGNO TSI.

Ode 1.

Cantavit gallus; jam frequentes in regias aedes convenêre. Fallor, non cantavit gallus, sed muscarum fuit strepitus.

Ad orientem apparet aurora et in regiis aedibus fit conventus hominum. Fallor; non aurorae, sed lumen est orientis lunae.

Insecta volando jam suum Hong hong ingeminant. Tecum dormire juvat; sed prope est ut dimittatur conventus hominum, et tu propter me aliorum offensionem fortasse incurres.

Ode 2.

Vir ille corpore agili me convenit in monte Nio. Duos apros nos ambo simul venando persecuti sumus; me laudavit ille et me strenuum dixit.

Vir ille industrius me convenit in viâ quae ad montem Nio ducit. Duas feras nos ambo simul venando insecuti sumus; me laudavit ille et me peritum dixit.

Vir ille fortis me convenit ad austrum montis Nio. Duos lupos nos ambo simul venando insecuti sumus; me laudavit ille et me solertem dixit.

Ode 3. 104.

Me expectat inter portam et tabulatum quod domi foribus prostat. Album sericum quo aures operit utrimque suspensum gerit; appensas etiam gemmas Kiong-hoa dictas gestat.

Me expectat in aulâ hospitibus excipiendis dicatâ; nigrum sericum, quo aures operit hinc indè suspensum gerit, nec non lapillos Kiong-jong dictos.

Me expectat domi; flavum sericum quo aures operit hinc inde suspensum gerit; nec non gemmas Kiong-ing dictas.

Ode 4. 110.

Sol oriens, venusta scilicet puella domi meae degit, domi meae degit, et vestigiis meis insistens venit.

Luna oriens, venusta scilicet puella ad portam meam degit, ad portam meam degit et vestigiis meis insistens foràs prodit.

Ode 5. 107.

Ante primum diluculum surgo et vestes inverso ordine induo. Vestibus sic inversis, ecce a principe exit mandatum, quo ire jubeor.

Nondum illuxit prima dies et surgens vestes inversas induo; vestibus ita inversis, ecce a principe jubeor praesto esse.

Salicum ramos abscindunt quibus hortum circumcludant, et imperitam multitudinem arceant, ipsique timorem incutiant. Si diei et noctis discrimen quis nes-

ciat, si non mane, saltem vespere (hoc discrimen scire) potest.

Ode 6.

Mons Nan-chan altus est, magnus est. Vulpes mascula foeminam vulpem quaerit. Via quâ itur ad regnum Lou plana est. Regni Tsi filia (princeps) data est (in matrimonium). Cum data sit (alteri in uxorem) quid igitur hanc puellam cogitas?

Ex plantâ Ko facti calcei bini et bini; quinque sunt calceorum paria. Pileorum taeniae pariter sunt binae et binae. Plana est via, quâ iter est ad regnum Lou. Abivit regni Tsi puella; cum abiverit illa, quid adhuc ipsam sequeris?

Cannabis planta quomodo seritur? Nonne ager, in quo seritur, in longum et latum aratur? Puella in uxorem quomodo ducitur? Nonne puellae parentes monentur? Quando quidem puellae parentes moniti sunt, quid adhuc arbitrio suo permittitur?

Ligna quomodo caeduntur? Sine securi caedere ligna certe non possumus. Nuptiae quomodo concilientur? Id non fit sine nuptiarum conciliatrice. Cum nuptiae ita conciliatae fuerint, quid adhuc agendi libertas datur?

Ode 7.

Noli plures agros excolere. Si plures excolere aggrediaris, vires tibi deficient, et ager neglectus herbis bono semini nocivis totus scatebit. Noli eum qui a te longe abest cogitare; sin minus, sollicitus fies et tuus cruciabitur animus.

Noli plures agros excolere; sin minus, segetibus nocivae herbae, quibus ager tuus totus scatebit, in altum excrescent. Qui a te procul distat, eum noli cogitare; si secus, sollicitus fies et tuus dolore animus conficietur.

Puer ille capillos suos supra caput in duorum cor-

nuum formam collectos et textos gerebat; non ita multò post, ecce apparet pileo Pien dicto indutus.

Ode 8.

Canes venatici annulos inter se annexos collegerunt et suum Ling ling ingeminant. Vir ille praeclara oris specie, summa virtute et humanitate summa.

Canis foemina et ipsius catulus torquem gestant. Vir ille praeclaro est aspectu cum barba, qua sub naso, et ex utraque parte genarum instructus est.

Canes annulum habent, cui annexi sunt; alii duo annuli. Vir ille praeclaro est aspectu cum sua ingenti barba.

Ode 9.

Fracta retia in ponte ligneo reposita sunt. Pisces autem sunt pisces Fang et Kouan. Venit regni Tsi princeps foemina. Quos habet in comitatu hos nubem diceres.

Fracta retia in ponte ligneo reposita jacent, pisces autem sont piscis Fang et piscis Sin. Venit regni Tsi foemina princeps; quos habet in suo comitatu hos pluviam diceres.

Fracta retia in ponte ligneo sunt; et pisces ingrediuntur et egrediuntur. Regni Tsi foemina princeps venit, quos habet in comitatu, eos aquas diceres.

Ode 10.

Cito cursu aguntur currus, et suum Po-po eundo ingeminant, procedunt currus cum sua quadrata et varie depicta storea et rubro corio, quod currus posteriora circumtegit. Via qua ad regnum Lou itur plana est; Regni Tsi foemina princeps ex diversorio capescit iter.

Quatuor nigro colore equi (quibus vehitur) quam nitentes, quam splendidi! Lora quibus currus regitur, tactu quam mollia! ad regnum Lou planum est iter. Regni Tsi foemina princeps laetatur.

Amnis Ouen aquis abundat. Iter facientes quam multi sunt: regni Lou via plana est. Regni Tsi foemina princeps erubescere nescit.

Amnis Ouen suas fluendo aquas volvit; qui iter faciunt magno sunt numero. Regni Lou planum est iter. Regni Tsi foemina princeps magna alacritate et audacia procedit.

Ode 11. 113.

Quis non doleat splendidum principem videndo, procera corporis statura virum, oris dignitate insignem, qui cum modestia sua sese involvat, prodit tamen foras virtus ejus et virtutis splendor; dulcissimo est aspectu, pulchris oculis; tanto lepore, corporis agilitate tanta incedit; arcus et fagittarum adeo peritus est.

Heu! princeps ille adeo laude dignus est! tam venustis, tam perspicacibus est oculis, tantam majestatem prae se fert: singulos dies in sagittis emittendis insumit, neque a scopo aberrat, aut rubram maculam, quae in medio scopo pingitur, transilit unquam. (Regis) nostri sororis dignus est certe filius.

Heu! princeps ille florenti aetate, venustis oculis, decoris superciliis ita saltandi peritus, ut nemo magis; artem sagittandi ita callet, ut scopum transfigat, et quatuor sagittis eamdem scopi partem attingat. Quam aptus est sedandis turbis et seditiosis coercendis!

CAPUT 9.

CANTILENAE IN REGNO OUEI.

Ode 1. 121.

Ex tela Ko-pou dicta conficiuntur calcei quibus contra calorem utuntur. His autem calceis incedere possunt super pruinam et gelu. Puellae parva manus, graciles digiti vestem crassam suere et conficere pos-

sunt. Vulgarem vestem, cui assuitur collare, induit vir honestus.

Vir honestus placidis est moribus et prae modestia primas concedens, ad sinistrum latus se proripit. Pectinem eburneum a latere suo suspensum gerit. Quia angusto est animo (et inculta parsimonia) sic merito carpitur.

O d e 2.

Regio quam alluit amnis Fen dictus humida est, et depressa juxta amnem herba Mou decerpitur. Hic vir formosus quidem, sed caret prudentia; praeclara est specie, sed nullo consilio; a regis auriga multum abludit (et regis currum regendo ineptus est).

Juxta amnem Fen dictum in terrae angulo decerpuntur mororum folia. Formosus hic vir floris ad instar nitet; hunc formosum virum florem esse diceres; sed Regis aurigam, qui regiis curribus regendis praeest, in se male exprimit.

Amnis Fen dicti sinus est ubi herbam Sin colligunt. Formosus hic vir gemmae est instar. Formosus est et gemmam pulchritudine adaequat, sed regio sanguine principum praeceptorem male agit.

O d e 3.

Quae in horto creverunt persica mala comedimus. Cum anxio sint animo, ego canto, sive mecum solus, sive sociata voce. Qui me ignorant me superbiae insimulant. Ita a natura facti sunt homines. Quid mihi velim, quaerit aliquis; interea moereo, et (dolorem meum) quis novit? quis novit? est fortasse, ut non satis attendant.

Quae in horto crevere zizisa comedimus. Anxio sum animo et in regno interim deambulo; qui me nesciunt me levi animo insimulant. Ita sunt homines. Quid intendam, quaerit aliquis; interea moereo, sed moero-

rem meum quis novit? quis novit? est fortasse, ut non satis perpendant.

Ode 4.

Aridum sine herbis et arboribus montem conscendo, unde in parentis mei aedes conjiciam oculos, et patrem meum induco loquentem, his verbis: heu! filius meus nunc regi dat operam suam, neque ipsi diu noctuque quiescere datur. Si sapiat id in primis satagere debet, ut veniat nihilve tardet.

Arboribus consitum et herbidum montem conscendo, unde in matris meae domum oculos conjiciam, et matrem meam induco loquentem, his verbis: heu! fortasse inquit illa, filiolus meus jam regi famulatur, et diu noctuque ipsi dormire non licet. Si sit cautus et diligens, adhuc venire poterit; non debet ibi relinqui.

Montis verticem praeruptum conscendo, unde in fratris majoris domum oculos conjiciam: heu! fortasse inquit ille, meus frater minor jam regi suam dat operam, et diu noctuque vires exserit suas; id inprimis sedulus agere debet, ut veniat, neque ibi moriatur.

Ode 5.

In agro decem jugerum Mou dictorum sunt homines qui moris arboribus dant operam; et illi alacri animo et voti compotes. Me huic viro addam comitem et reverti volo.

Ultra agrum decem jugerum Mou dictorum, sunt qui moris arboribus dant operam, et illi tranquillo animo otia carpunt. Volo cum hoc viro simul abire.

Ode 6.

Qui ligna viribus adhibitis caedunt suum Kan-kan ingeminant; sectae arbores Tan dictae juxta fluvii ripam collocantur: fluvii autem aqua vento flante crispatur et sulcatur. Qui non serit, qui non colligit, quomodo tercentum hominum frumenta sibi habebit?

nisi venatum ires, quomodo videremus pelles istas animalis Kiuen dicti quas in atrio tuo suspersas habes? Vir sapiens non ille est, qui parcens labori comedat.

Qui ligna viribus adhibitis caedunt, suum Kankan ingeminant. Quae secta sunt ad rotarum radios conficiendos ligna juxta fluvium reponuntur. Fluvii autem aqua placido est cursu. Si agriculturam neglexeris, si messem non collegeris quomodo 30,000,000. mensuras frumentorum tibi habebis? nisi venatum ires, quomodo videremus triennes istos apros quos in domi atrio suspensos habes? Sapiens autem non ille est, qui labori parcat, et ita comedere velit.

Qui ligna conatu adhibito caedit, suum Kan-kan laborando ingeminat; secta autem ligna ad rotas conficiendas juxta fluvium ponuntur, et fluvii aqua a tenui vento crispa fit. Si agrum minus colueris, si messem non collegeris, quomodo trecenta horrea Kiun dicta frumentis plena tibi habebis? Si non ires venatum, quomodo haberes istas alaudas, quas in atrio tuo appensas videmus? Vir enim sapiens non ille est qui non laborans comedere velit.

Ode 7. 121.

Mus ingens, ingens mus, noli milium meum comedere, tres sunt anni ex quo te patior. Nulli curae tibi fuerunt res meae. Ego vero discessum paro, et in meliores terras abeo. Terra (quo pergo) felix illa est regio, ubi vitae dies tranquillos ducam.

Mus ingens, ingens mus noli frumentum meum corrodere, tres omnino sunt anni ex quo te patior. Tu nihil me amavisti, sic ego discessum paro, et in meliora regna demigro.. Regnum quo pergo, felix illud est, felix illud est regnum, ubi quae mihi consentanea sunt, obtinebo.

Mus ingens, mus ingens, segetes meas corrodere

abstine. Tres sunt anni ex quo te patior; nec te movebat illud, quod patiebas; sic paro discessum et in meliorem provinciam demigro. Felix provincia, felix illa est. Quis (ibi) alta ducit suspiria ab aliis vexatus?

CAPUT 10.

CANTILENAE IN REGNO TANG.

Ode 1.

Jam domos irrependo intraverunt grilli; jam jam anni finis adventat, jam indulgeamus genio, ne sol et luna cursum suum frustra absolvisse videantur; sed inter laetandum, nihil contra modestiae leges peccandum; nihil debet esse ultra modum. Officii nostri meminisse juvabit. Dulcis est voluptas, sed cum honestate conjungi debet. Vir probus (inter gaudia) sibi sollicite cavet.

Jam grillus domum irrepsit, jam anni finis instat. Nunc laetari juvat, neque expectandum, donec solis et lunae curriculum absolvatur. Sed inter gaudia nostra nihil sit ultra modum; non solum in iis quae sunt muneris nobis commissi, sed etiam in aliis rebus seduli esse debemus. Dulcis quidem voluptas, sed ab honestate minime divelli debet. Vir probus in omnibus attentus est et diligens.

Jam grillus in domos penetravit; jam cessant plaustra. Si nunc non laetemur, nihilo minus sol et luna suum complebunt cursum. Caveamus tamen ut nos intra modestiae fines contineamus; laetando vel ipsas aerumnas, quibus obnoxii sumus, cogitare debemus. Dulcis est voluptas, sed nihil inhonesti debet habere. Vir probus nihil perturbate agit, suimet ipsius compos ubique videtur.

Ode 2. /125.

In montibus crescit arbor Kiu et in vallibus ulmus crescit. Homo quidam vestes habet, quas non induit, currus et equos quos non conscendit. Frustra vixerit ille, et ipsius mortui opibus alieni gaudebunt.

Montes arborem Kao ferunt et valles arbusculam Niou. Homo quidam magnificas aedes, atria habet quae non verrit, quae negligit; campanas et tympana habet, quae non pulsat. Frustra vixerit ille et ipso mortuo alieni haec sibi habebunt.

Montes ferunt arborem Tsi et valles arborem castaneam. Quid est quod homo quidam, cum vinum et escas habeat, non canit fidibus Che dictis, quidni canendo suum tantisper, recreat animum? quidni vitam suam ad plures dies producit? frustra vixerit ille, et alieni ipsius mortui opes invadent.

Ode 3. /122.

Aqua cursu placido fluit et albent praeruptae rupes. Homines simplici cultu induti, in vestibus quibus collare rubrum assuitur, se dedunt viro cuidam in regione Ou dicta. Cum fruamur, aiunt, viri sapientis conspectu quidni gauderemus?

Aqua placido cursu fluit et albent scabrae rupes. Homines simplici cultu induti, in vestibus quibus parte superiore assuitur ruber, limbus acu pictus, illi in regione Kou se dedunt viro cuidam. Cum fruamur, aiunt, viri sapientis conspectu, quis jam animum sollicitandi locus relinquitur?

Aqua placido cursu fluit et albent asperae rupes. Ego quae audivi Imperatoris mandata, de iis non ausim alios certiores facere.

Ode 4. /124.

Arbor Tsiao baccarum fertilissima est, ita ut ex una arbore collecti fructus unam mensuram Ching

dictam impleant. Fortis ille vir et procera corporis statura suum parem non habet. Arbor Tsiao late suos etiam diffundit ramos.

Arbor Tsiao baccis abundat, totque illa fert baccas quot ambae manus capere possunt. Vir ille vere magno, et crasso est corpore; arbor etiam Tsiao late suos extendit ramos.

Ode 5.

In fasciculos colligantur et colligata in se revolvuntur ligna. Sidus San-sing in coelo apparet. Haec vero nox, quae tandem nox erit? hunc virum probum convenio; tunc vero, tunc vero adeo probus es? quî fit ut adeo probus sis?

In fasciculos colligantur et colligati in se revolvuntur junci. Sidus San-sing ad (austro-orientis) coeli plagam apparet. Haec nox quae tandem nox erit? mutuus fit occursus. Tu autem ad talem occursum, tu quo tandem eris animo?

In fasciculos colligantur et colligatae in se revolvuntur spinae. Sidus San-sing jam domi portam respicit. Haec nox quae nox erit? ego adeo praeclarum hunc virum. Tu autem cum ita praeclaro viro, tu quo tandem eris animo?

Ode 6.

Ego pyrus, arbor pupilla, foliis quidem abundo, sed parentibus et fratribus orba ambulo; quid faciam ab omnibus derelicta? non est qui mihi sit pro patre heu! quid est quod non sit viator, qui amice mecum agere velit? qui est sine fratribus, quomodo adjutorem non habet?

Ego pyrus, arbor pupilla, frondosa quidem sed parentibus et fratribus orba sum: quid faciam ab omnibus derelicta? non est qui mihi sit pro cognato heu! (etc. ut supra).

Ode 7. /129.

Ex pelle agnina vesti limbus ex pardi pelle assuitur. Hominem illum cogito qui hominum tranquillitati studet, qui hominum tranquillitati studet. Nonne praeter illum alii adhuc sunt? sed tua de causa.

Ex pello agnina vesti limbus ex pardi pelle assuitur. Hominem illum cogito qui multum attendit, qui multum attendit. Nonne praeter illum alii adhuc sunt? sed propter amorem tuum.

Ode 8. /132.

Aves Pao suas volando agitant alas et alae strepentes Sou-sou ingeminant, quercubus confertis insidunt aves illae. Quia regis negotia intermitti aut imperfecta relinqui non possunt, non vacat colere agros et frugibus Chou-tsi dictis dare operam. Parentes nostri ad quem confugient? Coeli caerulei a nobis adeo dissiti, (vos testor) quandonam dabitur loca illa adire?

Aves Pao suas volando agitant pennas et dumetis insidunt. Cum publica res imperfecta relinqui non possit, regis negotia procurando, nihil superest otii ad segetes Chou-tsi colendas. Sed parentes nostri unde vitam alent suam? *) Coeli caerulei a nobis adeo dissiti, vos testor, quis tandem finis erit?

Aves Pao turmatim volant suasque agitando pennas suum Sou-sou ingeminant; confertis moris insidunt. Regia negotia intermitti minime possunt, sic orizam et milium Kao-leang colere non vacat. Sed parentes nostri quid habent, quod in cibum adhibeant? Caerulei

*) Coelos caeruleos compellando, id poetice et quemadmodum nos per figuram apostropham; secus autem quando coelum augustum inclamant; distinguunt enim Tsang-tien et Hao-tien.

coeli a nobis dissiti, quando tamen licebit ad pristin redire?

Ode 9. /30.

Nunquid septem genera vestium desunt? non desun quidem, sed potiores sunt vestes viri cujusdam; (qui si has vestes donaverit) tranquilli sumus et felices.

Nunquid vestium sex genera desunt? non desunt quidem, sed non sunt veluti vestes cujusdam viri; (qui si has donaverit) tranquilli sumus ac tuti a frigore.

Ode 10. /35.

Viae adjacens arbor unica pyrus; ego compello sapientes illos viros, an me velint adire? illud vehementer cupio si quo modo possim ipsos potu et cibo excipere.

In viae anfractu ego arbor Pyrus unica crevi, et ab illis sapientibus viris quaero, num velint ad me venire deambulatum; illud vehementer exopto, si quo modo possim ipsos potu et cibo excipere.

Ode 11. /33.

Planta Ko spinis adhaeret ipsis innixa et planta Lien rure serpit. Formosus meus hinc abest. Quis autem hic mecum? hic dego sine comite.

Planta Ko crescit inter vepres et spinas quibu innititur; et planta Lien serpit circa sepulchra. Hin abest formosus meus. Quis autem (etc. ut supra).

Cervical pulchrum est et perfecto opere, lodi splendide ornata et pretiosa, Formosus autem meu hinc abest. Quis enim hic mecum? hic sine comite dego usque ad primum diluculum.

Post dies aestivos, noctes hibernas; annos aetati centum, eodem tumulo nos tandem conjungemur.

Post dies aestivos (etc. ut supra).

Ode. 12. /31.

Tuber (Fou) ling colligitur, colligitur in monte Cheou-yang, ex parte montis quae respicit austrum. Qui sparguntur in vulgus rumores non sunt fide digni. Hos seponas, hos seponas, nolito illis credere: sic fiet, ut illi qui ejusmodi rumorum sunt auctores, quod sibi proponunt ita fingendo, quod intendunt, minus assequi possint.

Herba Kou-tsai colligitur, colligitur ad radicem montis Cheou-yang. Quae falso deblaterant, de iis nihil labora. Haec sepone, ista sepone. Quae ita fingunt illi, si fidem non inveniant; qui hos rumores spargunt, quomodo finem sibi propositum obtinebunt?

Herba Fong colligitur ad partem orientalem montis Cheou-yang. Qui ista fingunt illorum verbis nolito fidem adhibere. Ista abjice, ista sepone; si non sit qui illis credat, hos falsos rumores frustra in vulgus sparserint illi.

Caput 11.

CANTILENAE IN REGNO TSIN.

Ode 1. /37

Multos currus qui suum Ling-ling eundo ingeminant audire juvat, multos equos, quorum frons albis pilis distincta est, videre placet. Qui virum sapientem invisere volunt, qui intus adstat, Eunuchus de iis moniturus pergit.

In praeruptis locis crescit arbor Tsi et in vallibus irriguis crescit arbor castanea. Virum sapientem convenerunt et simul cum illo sedent, interea canitur fidibus Che; si hanc, laetandi occasionem a se elabi patiantur, erit fortasse ut vitam suam ad senium usque (gaudii expertes) producant.

coeli a nobis dissiti, quando tamen licebit ad pristina redire?

Ode 9. /130.

„ Nunquid septem genera vestium desunt? non desunt quidem, sed potiores sunt vestes viri cujusdam; (qui si has vestes donaverit) tranquilli sumus et felices.

Nunquid vestium sex genera desunt? non desunt quidem, sed non sunt veluti vestes cujusdam viri; (qui si has donaverit) tranquilli sumus ac tuti a frigore.

Ode 10. /135.

Viae adjacens arbor unica pyrus; ego compello sapientes illos viros, an me velint adire? illud vehementer cupio si quo modo possim ipsos potu et cibo excipere.

In viae anfractu ego arbor Pyrus unica crevi, et ab illis sapientibus viris quaero, num velint ad me venire deambulatum; illud vehementer exopto, si quo modo possim ipsos potu et cibo excipere.

Ode 11. /139.

Planta Ko spinis adhaeret ipsis innixa et planta Lien rure serpit. Formosus meus hinc abest. Quis autem hic mecum? hic dego sine comite.

Planta Ko crescit inter vepres et spinas quibus innititur; et planta Lien serpit circa sepulchra. Hinc abest formosus meus. Quis autem (etc. ut supra).

Cervical pulchrum est et perfecto opere, lodix splendide ornata et pretiosa. Formosus autem meus hinc abest. Quis enim hic mecum? hic sine comite dego usque ad primum diluculum.

Post dies aestivos, noctes hibernas; annos aetatis centum, eodem tumulo nos tandem conjungemur.

Post dies aestivos (etc. ut supra).

Ode. 12. /31.

Tuber (Fou) ling colligitur, colligitur in monte Cheou-yang, ex parte montis quae respicit austrum. Qui sparguntur in vulgus rumores non sunt fide digni. Hos seponas, hos seponas, nolito illis credere: sic fiet, ut illi qui ejusmodi rumorum sunt auctores, quod sibi proponunt ità fingendo, quod intendunt, minus assequi possint.

Herba Kou-tsai colligitur, colligitur ad radicem montis Cheou-yang. Quae falso deblaterant, de iis nihil labora. Haec sepone, ista seponé. Quae ita fingunt illi, si fidem non inveniant; qui hos rumores spargunt, quomodo finem sibi propositum obtinebunt?

Herba Fong colligitur ad partem orientalem montis Cheou-yang. Qui ista fingunt illorum verbis nolito fidem adhibere. Ista abjice, ista sepone; si non sit qui illis credat, hos falsos rumores frustra in vulgus sparserint illi.

Caput 11.

CANTILENAE IN REGNO TSIN.

Ode 1. /37

Multos currus qui suum Ling-ling eundo ingeminant audire juvat, multos equos, quorum frons albis pilis distincta est, videre placet. Qui virum sapientem invisere volunt, qui intus adstat, Eunuchus de iis moniturus pergit.

In praeruptis locis crescit arbor Tsi et in vallibus irriguis crescit arbor càstanea. Virum sapientem convenerunt et simul cum illo sedent, interea canitur fidìbus Che; si hanc laetandi occasionem a se elabi patiantur, erit fortasse ut vitam suam ad senium usque (gaudii expertes) producant.

In praeruptis locis crescit morus et in vallibus irriguis crescit populus arbor. Virum sapientem conveniunt, et simul cum illo sedent; interea canitur instrumento musico Cheng dicto et resonat lamina illa aurea quae posita est in medio tuborum ex quibus compactum est instrumentum. Quam nacti sunt laetandi occasionem, si hanc amitterent, (gaudii expertes) e vivis excederent.

Ode 2.

Quadrigae illius equi nigri quam proceri; quadrigae, sex lora prae manibus tenentur. Principis magnates aulici, qui apud principem magna sunt gratia, hunc ad venatum sequuntur.

Feras varias pro varia anni tempestate in circuitu circumcludunt, et illae quidem pro variis temporibus, quam pingues sunt! princeps sinistrum latus indicat; mittitur sagitta nec frustraneo ictu.

Ad hortos versus boream deambulatum itur. Quaternio equorum otiari eundo videntur; currus fit levis; equi autem ex utraque parte fraeni duo tintinnabula gerunt, quorum sonus avis Loan vocem imitatur: canes vero venatici, sive illi qui oblongo sive qui brevi sunt rostro, curru vehuntur.

Ode 3.

Bellici currus Siao-jong dicti lignis transversis circumvestiti, et ligaminum quinque ordinibus circumligati (jam ad bellum procedunt). Equorum lora annulis annexa libere laxantur vel adducuntur. In curribus pulvinaria varia ornata, alte autem eminet curruum axis.

Curribus junguntur scutulati equi et albis cruribus. Quem cogito virum sapientem, hic gemmarum nitorem imitatur; cum nunc ille degat in domo ex ligni asse-

ribus constructa, ego perturbato sum animo, et cor meum de sua sede quasi dimovetur.

Quadrigarum equi quam nitentes, quam proceri. Sex lora prae manibus habentur, in medio sunt duo equi jubis nigris et caetera sub rubro colore. Ad latus autem hinc et inde equi duo sunt nigro corpore et ore nigro. Currus habent scuta duo cum draconis depicta figura, quae scutum quodlibet exornat. Lora et equorum phalerae quam pulchre ornatae. Quem cogito virum sapientem, ille placidis moribus apud regni confinia degit. O quandonam ad propria redibit! o quare meum adeo sollicitat animum!

Loricati equi quam sunt regi dociles. Triangulare juculum Mao dictum hastili suo argentum gerit. Quaelibet scuta variis coloribus micant: arcuum involucra sunt tigridum pelles: equorum pectora aere caelato decorantur. Arcuum involucrum quodlibet duos arcus continet: unam scilicet recta positum, alterum autem inversum; ope arundinis conprimuntur arcus, ut recti permaneant. Virum sapientem sive stans sive decumbens cogito. Vir est sincerus, gravis et probus; et in suo agendi modo nihil nisi ex ordine facit, et officii fines nunquam praetergreditur.

Ode 4.

Non marcescunt carecta; ros tamen in pruinam desinere incipit. Homo ille quem cogito, in alia fluvii parte, atque ego, versabatur. Cum adverso flumine illum quaerere vellem, via impedita erat, et iter longum; sin autem eum secundo flumine quaesiturus irem; tunc ille in medio flumine versari videbatur (et eum adire non poteram).

Carecta etiam nunc sunt viridante colore, necdum aruit ros albus. Quem cogito in aqua non profunda versabatur. Cum adverso flumine ipsum quaesiturus irem, via erat obicibus et periculis plena; sin autem secundo flumine eum quaererem, ille quasi in insula in media aqua degebat.

Luxuriant carecta, alta illa sunt; necdum omnino desinit ros albus. Quem cogito, ille in fluvii ripa degebat. Si cum adverso flumine pergerem quaesiturus, via erat obicibus et anfractibus ardua; si secundo flumine, tunc ille in flumine medio in parva insula degere videbatur.

O d e 5. 140.

Quid fert mons Tchong-nan? arborem Tiao et arborem Mæi. Vir sapiens ad summum pervenit. Vestes intimas induit ex vulpina pelle, extimas autem splendidas et pretiosas: eo est oris colore, ut vultus ejus minio illitus esse videatur; quantum illum video ipse est dominus et rex.

Quid habet mons Tchong-nan? Montis est supercilium et in montis vertice vasta est planities. Vir sapiens ad summum pervenit; ipsius vestes quam magnifice acu pictae sunt. Quas ad latus hinc inde gemmas gerit, suum Tsiang-tsiang ingeminant. Vivat ille, aeternum vivat!

O d e 6. 141.

Crocea avis (vid. notas in I. 1. 2.) Hoang-niao huc et illuc volando se proripit et super dumeta sistit se. Quis principem Mou-kong secutus est (et cum principe fatis occubuit?) ille est Tsee-tche-Yen-si noster, qui inter caeteros longe eminebat. Ad foveam (ubi sepultus est) accedimus, et subitus horror nos occupat. Caerulei coeli, vos testor, quo fato factum est ut bo-

mum virum neci dederit; cujus vitam si redimere licuisset, quilibet ex nobis centum capita pro illius redimendi pretio habere et dare voluisset.

Crocea avis huc volando, se tandem super morum arborem proripit. Quis principem Mou-kong (mortuum) secutus est? ille est Tsee-tche Tchong-hang, qui tanta fortitudine praestabat, ut ille unus centum virorum impetum repellere potuisset. Ad foveam accedentes nos subitus horror occupat. O coeli caerulei, quî fit, ut vir bonus e vivis extinctus sit? Si hujus vitam licuisset redimere, pro pretio quilibet centum capita libenter dedisset.

Crocea avis huc illuc volando, se tandem super spinas proripit. Quis Mou-kong principem secutus est? ille est Tsee-tche Kien-hou, qui potuisset vel ipse unus centum virorum impetum sustinere. Ad foveam accedimus et subitus horror nos occupat. O coeli caerulei! quomodo factum est, ut vir ille noster ita probus e vivis extingueretur? Si de illo redimendo ageretur, quisque pro pretio centies caput suum libentissime daret.

Ode 7. /42.

Avis Tchin-fong quam velox est, et sylva ad boream posita quam nigra et umbrosa! Vir sapiens non apparet, animo autem doleo, animo crucior. Quid ita? quid ita? vere ille est mei nimis immemor.

Montes ferunt arborem Li, quae conferta crescit, et valles arborem Liou-po. Vir sapiens non apparet; animo autem doleo et gaudii expers fio. Quid ita (etc. ut supra).

abstine. Tres sunt anni ex quo te patior; nec te movebat illud, quod patiebas; sic paro discessum et in meliorem provinciam demigro. Felix provincia, felix illa est. Quis (ibi) alta ducit suspiria ab aliis vexatus?

CAPUT 10.

CANTILENAE IN REGNO TANG.

Ode 1. 124.

Jam domos irrependo intraverunt grilli; jam jam anni finis adventat, jam indulgeamus genio, ne sol et luna cursum suum frustra absolvisse videantur; sed inter laetandum, nihil contra modestiae leges peccandum; nihil debet esse ultra modum. Officii nostri meminisse juvabit. Dulcis est voluptas, sed cum honestate conjungi debet. Vir probus (inter gaudia) sibi sollicite cavet.

Jam grillus domum irrepsit, jam anni finis instat. Nunc laetari juvat, neque expectandum, donec solis et lunae curriculum absolvatur. Sed inter gaudia nostra nihil sit ultra modum; non solum in iis quae sunt muneris nobis commissi, sed etiam in aliis rebus seduli esse debemus. Dulcis quidem voluptas, sed ab honestate minime divelli debet. Vir probus in omnibus attentus est et diligens.

Jam grillus in domos penetravit; jam cessant plaustra. Si nunc non laetemur, nihilo minus sol et luna suum complebunt cursum. Caveamus tamen ut nos intra modestiae fines contineamus; laetando vel ipsas aerumnas, quibus obnoxii sumus, cogitare debemus. Dulcis est voluptas, sed nihil inhonesti debet habere. Vir probus nihil perturbate agit, suimet ipsius compos ubique videtur.

Ode 2. 125.

In montibus crescit arbor Kiu et in vallibus ulmus crescit. Homo quidam vestes habet, quas non induit, currus et equos quos non conscendit. Frustra vixerit ille, et ipsius mortui opibus alieni gaudebunt.

Montes arborem Kao ferunt et valles arbusculam Niou. Homo quidam magnificas aedes, atria habet quae non verrit, quae negligit; campanas et tympana habet, quae non pulsat. Frustra vixerit ille et ipso mortuo alieni haec sibi habebunt.

Montes ferunt arborem Tsi et valles arborem castaneam. Quid est quod homo quidam, cum vinum et escas habeat, non canit fidibus Che dictis, quidni canendo suum tantisper, recreat animum? quidni vitam suam ad plures dies producit? frustra vixerit ille, et alieni ipsius mortui opes invadent.

Ode 3. 122.

Aqua cursu placido fluit et albent praeruptae rupes. Homines simplici cultu induti, in vestibus quibus collare rubrum assuitur, se dedunt viro cuidam in regione Ou dicta. Cum fruamur, aiunt, viri sapientis conspectu quidni gauderemus?

Aqua placido cursu fluit et albent scabrae rupes. Homines simplici cultu induti, in vestibus quibus parte superiore assuitur ruber limbus acu pictus, illi in regione Hou se dedunt viro cuidam. Cum fruamur, aiunt, viri sapientis conspectu, quis jam animum sollicitandi locus relinquitur?

Aqua placido cursu fluit et albent asperae rupes. Ego quae audivi Imperatoris mandata, de iis non ausim alios certiores facere.

Ode 4. 124.

Arbor Tsiao baccarum fertilissima est, ita ut ex una arbore collecti fructus unam mensuram Ching

dictam impleant. Fortis ille vir et procera corporis statura suum parem non habet. Arbor Tsiao late suos etiam diffundit ramos.

Arbor Tsiao baccis abundat, totque illa fert baccas quot ambae manus capere possunt. Vir ille vere magno, et crasso est corpore; arbor etiam Tsiao late suos extendit ramos.

Ode 5.

In fasciculos colligantur et colligata in se revolvuntur ligna. Sidus San-sing in coelo apparet. Haec vero nox, quae tandem nox erit? hunc virum probum convenio; tune vero, tune vero adeo probus es? quî fit ut adeo probus sis?

In fasciculos colligantur et colligati in se revolvuntur junci. Sidus San-sing ad (austro-orientis) coeli plagam apparet. Haec nox quae tandem nox erit? mutuus fit occursus. Tu autem ad talem occursum, tu quo tandem eris animo?

In fasciculos colligantur et colligatae in se revolvuntur spinae. Sidus San-sing jam domì portam respicit. Haec nox quae nox erit? ego adeo praeclarum hunc virum. Tu autem cum ita praeclaro viro, tu quo tandem eris animo?

Ode 6. (27)

Ego pyrus, arbor pupilla, foliis quidem abundo, sed parentibus et fratribus orba ambulo; quid faciam ab omnibus derelicta? non est qui mihi sit pro patre heu! quid est quod non sit viator, qui amice mecum agere velit? qui est sine fratribus, quomodo adjutorem non habet?

Ego pyrus, arbor pupilla, frondosa quidem sed parentibus et fratribus orba sum: quid faciam ab omnibus derelicta? non est qui mihi sit pro cognato heu! (etc. ut supra).

Ode 7. /129.

Ex pelle agnina vesti limbus ex pardi pelle assuitur. Hominem illum cogito qui hominum tranquillitati studet, qui hominum tranquillitati studet. Nonne praeter illum alii adhuc sunt? sed tua de causa.

Ex pello agnina vesti limbus ex pardi pelle assuitur. Hominem illum cogito qui multum attendit, qui multum attendit. Nonne praeter illum alii adhuc sunt? sed propter amorem tuum.

Ode 8. /132.

Aves Pao suas volando agitant alas et alae strepentes Sou-sou ingeminant, quercubus confertis insidunt aves illae. Quia regis negotia intermitti aut imperfecta relinqui non possunt, non vacat colere agros et frugibus Chou-tsi dictis dare operam. Parentes nostri ad quem confugient? Coeli caerulei a nobis adeo dissiti, (vos testor) quandonam dabitur loca illa adire?

Aves Pao suas volando agitant pennas et dumetis insidunt. Cum publica res imperfecta relinqui non possit, regis negotia procurando, nihil superest otii ad segetes Chou-tsi colendas. Sed parentes nostri unde vitam alent suam? *) Coeli caerulei a nobis adeo dissiti, vos testor, quis tandem finis erit?

Aves Pao turmatim volant suasque agitando pennas suum Sou-sou ingeminant; confertis moris insidunt. Regia negotia intermitti minime possunt, sic orizam et milium Kao-leang colere non vacat. Sed parentes nostri quid habent, quod in cibum adhibeant? Caerulei

---

*) Coelos caeruleos compellando, id poetice et quemadmodum nos per figuram apostropham; secus autem quando coelum augustum inclamant; distinguunt enim Tsang-tien et Hao-tien.

coeli a nobis dissiti, quando tamen licebit ad pristina redire?

Ode 9. /30.

„ Nunquid septem genera vestium desunt? non desunt quidem, sed potiores sunt vestes viri cujusdam; (qui si has vestes donaverit) tranquilli sumus et felices.

Nunquid vestium sex genera desunt? non desunt quidem, sed non sunt veluti vestes cujusdam viri; (qui si has donaverit) tranquilli sumus ac tuti a frigore.

Ode 10. /35.

Viae adjacens arbor unica pyrus; ego compello sapientes illos viros, an me velint adire? illud vehementer cupio si quo modo possim ipsos potu et cibo excipere.

In viae anfractu ego arbor Pyrus unica crevi, et ab illis sapientibus viris quaero, num velint ad me venire deambulatum; illud vehementer exopto, si quo modo possim ipsos potu et cibo excipere.

Ode 11. /39.

Planta Ko spinis adhaeret ipsis innixa et planta Lien rure serpit. Formosus meus hinc abest. Quis autem hic mecum? hic dego sine comite.

Planta Ko crescit inter vepres et spinas quibus innititur; et planta Lien serpit circa sepulchra. Hinc abest formosus meus. Quis autem (etc. ut supra).

Cervical pulchrum est et perfecto opere, lodix splendide ornata et pretiosa. Formosus autem meus hinc abest. Quis enim hic mecum? hic sine comite dego usque ad primum diluculum.

Post dies aestivos, noctes hibernas; annos aetatis centum, eodem tumulo nos tandem conjungemur.

Post dies aestivos (etc. ut supra).

Ode. 12. /81.

Tuber (Fou) ling colligitur, colligitur in monte Cheou-yang, ex parte montis quae respicit austrum. Qui sparguntur in vulgus rumores non sunt fide digni. Hos seponas, hos seponas, nolito illis credere: sic fiet, ut illi qui ejusmodi rumorum sunt auctores, quod sibi proponunt ita fingendo, quod intendunt, minus assequi possint.

Herba Kou-tsai colligitur, colligitur ad radicem montis Cheou-yang. Quae falso deblaterant, de iis nihil labora. Haec sepone, ista sepone. Quae ita fingunt illi, si fidem non inveniant; qui hos rumores spargunt, quomodo finem sibi propositum obtinebunt?

Herba Fong colligitur ad partem orientalem montis Cheou-yang. Qui ista fingunt illorum verbis nolito fidem adhibere. Ista abjice, ista sepone; si non sit qui illis credat, hos falsos rumores frustra in vulgus sparserint illi.

Caput 11.

CANTILENAE IN REGNO TSIN.

Ode 1. /82

Multos currus qui suum Ling-ling eundo ingeminant audire juvat, multos equos, quorum frons albis pilis distincta est, videre placet. Qui virum sapientem invisere volunt, qui intus adstat, Eunuchus de iis moniturus pergit.

In praeruptis locis crescit arbor Tsi et in vallibus irriguis crescit arbor castanea. Virum sapientem convenerunt et simul cum illo sedent, interea canitur fidibus Che; si hanc laetandi occasionem a se elabi patiantur, erit fortasse ut vitam suam ad senium usque (gaudii expertes) producant.

In praeruptis locis crescit morus et in vallibus irriguis crescit populus arbor. Virum sapientem conveniunt, et simul cum illo sedent; interea canitur instrumento musico Cheng dicto et resonat lamina illa aurea quae posita est in medio tuborum ex quibus compactum est instrumentum. Quam nacti sunt laetandi occasionem, si hanc amitterent, (gaudii expertes) e vivis excederent.

Ode 2. /138.

Quadrigae illius equi nigri quam proceri; quadrigae, sex lora prae manibus tenentur. Principis magnates aulici, qui apud principem magna sunt gratia, hunc ad venatum sequuntur.

Feras varias pro varia anni tempestate in circuitu circumcludunt, et illae quidem pro variis temporibus, quam pingues sunt! princeps sinistrum latus indicat; mittitur sagitta nec frustraneo ictu.

Ad hortos versus boream deambulatum itur. Quaternio equorum otiari eundo videntur; currus fit levis; equi autem ex utraque parte fraeni duo tintinnabula gerunt, quorum sonus avis Loan vocem imitatur: canes vero venatici, sive illi qui oblongo sive qui brevi sunt rostro, curru vehuntur.

Ode 3. /139.

Bellici currus Siao-jong dicti lignis transversis circumvestiti, et ligaminum quinque ordinibus circumligati (jam ad bellum procedunt). Equorum lora annulis annexa libere laxantur vel adducuntur. In curribus pulvinaria varia ornata, alte autem eminet curruum axis.

Curribus junguntur scutulati equi et albis cruribus. Quem cogito virum sapientem, hic gemmarum nitorem imitatur; cum nunc ille degat in domo ex ligni asse-

ribus constructa, ego perturbato sum animo, et cor meum de sua sede quasi dimovetur.

Quadrigarum equi quam nitentes, quam proceri. Sex lora prae manibus habentur, in medio sunt duo equi jubis nigris et caetera sub rubro colore. Ad latus autem hinc et inde equi duo sunt nigro corpore et ore nigro. Currus habent scuta duo cum draconis depicta figura, quae scutum quodlibet exornat. Lora et equorum phalerae quam pulchre ornatae. Quem cogito virum sapientem, ille placidis moribus apud regni confinia degit. O quandonam ad propria redibit! o quare meum adeo sollicitat animum!

Loricati equi quam sunt regi dociles. Triangulare jaculum Mao dictum hastili suo argentum gerit. Quaelibet scuta variis coloribus micant: arcuum involucra sunt tigridum pelles: equorum pectora aere caelato decorantur. Arcuum involucrum quodlibet duos arcus continet: unam scilicet recta positum, alterum autem inversum; ope arundinis conprimuntur arcus, ut recti permaneant. Virum sapientem sive stans sive decumbens cogito. Vir est sincerus, grávis et probus; et in suo agendi modo nihil nisi ex ordine facit, et officii fines nunquam praetergreditur.

Ode 4.

Non marcescunt carecta; ros tamen in pruinam desinere incipit. Homo ille quem cogito, in alia fluvii parte, atque ego, versabatur. Cum adverso flumine illum quaerere vellem, via impedita erat, et iter longum; sin autem eum secundo flumine quaesiturus irem; tunc ille in medio flumine versari videbatur (et eum adire non poteram).

Carecta etiam nunc sunt viridante colore, necdum aruit ros albus. Quem cogito in aqua non profunda versabatur. Cum adverso flumine ipsum quaesiturus irem, via erat obicibus et periculis plena; sin autem secundo flumine eum quaererem, ille quasi in insula in media aqua degebat.

Luxuriant carecta, alta illa sunt; necdum omnino desinit ros albus. Quem cogito, ille in fluvii ripa degebat. Si cum adverso flumine pergerem quaesiturus, via erat obicibus et anfractibus ardua; si secundo flumine, tunc ille in flumine medio in parva insula degere videbatur.

O d e 5. 140.

Quid fert mons Tchong-nan? arborem Tiao et arborem Mæi. Vir sapiens ad summum pervenit. Vestes intimas induit ex vulpina pelle, extimas autem splendidas et pretiosas: eo est oris colore, ut vultus ejus minio illitus esse videatur; quantum illum video ipse est dominus et rex.

Quid habet mons Tchong-nan? Montis est supercilium et in montis vertice vasta est planities. Vir sapiens ad summum pervenit; ipsius vestes quam magnifice acu pictae sunt. Quas ad latus hinc inde gemmas gerit, suum Tsiang-tsiang ingeminant. Vivat ille, aeternum vivat!

O d e 6. 141.

Crocea avis (vid. notas in I. 1. 2.) Hoang-niao huc et illuc volando se proripit et super dumeta sistit se. Quis principem Mou-kong secutus est (et cum principe fatis occubuit?) ille est Tsee-tche-Yen-si noster, qui inter caeteros longe eminebat. Ad foveam (ubi sepultus est) accedimus, et subitus horror nos occupat. Caerulei coeli, vos testor, quo fato factum est ut bo-

unum virum neci dederit; cujus vitam si redimere licuisset, quilibet ex nobis centum capita pro illius redimendi pretio habere et dare voluisset."

Crocea avis huc volando, se tandem super morum arborem proripit. Quis principem Mou-kong (mortuum) secutus est? ille est Tsee-tche Tchong-hang, qui tanta fortitudine praestabat, ut ille unus centum virorum impetum repellere potuisset. Ad foveam accedentes nos subitus horror occupat. O coeli caerulei, qui fit, ut vir bonus e vivis extinctus sit? Si hujus vitam licuisset redimere, pro pretio quilibet centum capita libenter dedisset.

Crocea avis huc illuc volando, se tandem super spinas proripit. Quis Mou-kong principem secutus est? ille est Tsee-tche Kien-hou, qui potuisset vel ipse unus centum virorum impetum sustinere. Ad foveam accedimus et subitus horror nos occupat. O coeli caerulei! quomodo factum est, ut vir ille noster ita probus e vivis extingueretur? Si de illo redimendo ageretur, quisque pro pretio centies caput suum libentissime daret.

Ode 7. 142.

Avis Tchin-fong quam velox est, et sylva ad boream posita quam nigra et umbrosa! Vir sapiens non apparet, animo autem doleo, animo crucior. Quid ita? quid ita? vere ille est mei nimis immemor.

Montes ferunt arborem Li, quae conferta crescit, et valles arborem Liou-po. Vir sapiens non apparet; animo autem doleo et gaudii expers fio. Quid ita (etc. ut supra).

Ti confertae arbores in montibus crescunt; et Sou i arbores in vallibus. Non video virum sapientem; animo autem doleo, et vino madentis instar habeo, quid ita? (etc. ut supra).

Ode 8. 143.

Caresne vestibus? Vestes talares tibi mecum communes esse volo. Imperator se ad bellum accingit, et convocat exercitum; nos igitur arma paremus, spiculum Ko et hastam Mao. Volo tecum una simul pugnam adire.

Caresne vestibus? Subuculas tibi mecum communes esse volo. Cum imperator se ad bellum accingat, nobis arma sunt paranda, hasta Mao et hasta Ki sunt reficiendae. Volo tecum simul proficisci.

Caresne vestibus? Vestes inferiores tibi mecum communes esse volo. Imperator bellum indicit; sic nos loricas adornemus et arma. Volo tecum una simul ire.

Ode 9. 143.

Ego avunculum usque ad regionem Ouei-yang comitor. Quid autem muneris ipsi offeram? principis currum cui quatuor equos flavos junxero.

Ego avunculum euntem comitor, et apud me usque cogito; quid tandem muneris ipsi offeram? gemmas nempe Kiong-ouei dictas quae ad latus geruntur.

Ode 10. 144.

Mihi vastae aedes erant. Nunc vero nihil ex victu quotidiano superest. Heu! jam non vult pergere quo pede incoeperat.

Mihi coenanti semper erant quatuor vasa Koui dicta. Nunc mihi nunquam esca satiari licet. Heu! (etc. ut supra).

Caput 12.

CANTILENAE IN REGNO TCHIN.

Ode 1. 145.

Vir ille ludos exercet in valle collibus undequaque cincta. Est certe, quod laetatur, sed nihil habet ille, quod ita placeat.

Tympanum pulsat in valle collibus undequaque cincta, sive hieme sive aestate videmus illum avis Lousee pennam prae manibus tenere.

Vas luteum Feou dictum pulsat ille in via, qua itur ad vallem collibus cinctam, sive hieme (etc. ut supra).

Ode 2. 146.

Ad portam orientalem est ulmus et in valle collibus cincta quercus est; ibi saltat, cujus pater est Tsee-tchong.

Faventem diem seligit; et pergit ad Australes campos; ubi cannabi non dat operam, sed choreas ducit.

Favente die foras exit, et cum aliis ambulat. Tu mihi videris instar plantae Kiao et das mihi pugillum piperis (hoa) Tsiao.

Ode 3. 147.

Lignum transversum est mihi pro domi janua, domi tamen curis liberam vitam duco. Ad fontis scaturientis conspectum, famem tolero.

Nunquid qui piscibus vescuntur, continuo pisce Fang, qui in fluviis reperitur, vescuntur? qui uxorem ducunt, continuo regni Tsi puellam Kiang uxorem ducunt?

Qui piscibus aluntur, an continuo pisce cyprino aluntur? qui matrimonium ineunt, an continuo ex regni Song gente regia puellam sibi matrimonio conjungunt?

Ode 4. 147.

Ad (urbis) portam orientalem sunt fossae cum aqua, ubi cannabis collecta macerari potest; formosa illa est, et magna virtute mulier, quacum cantando (cantilenae) sensus explicari potest.

Ad portam orientalem sunt fossae cum aqua, ubi cannabis maceretur; formosa illa est, et prudens mulier, quacum sententiarum sensus exponi potest.

Ad portam orientalem sunt fossae, ubi planta Kien in aqua maceretur; pulchritudine et sapientia praestans mulier illa est quacum possumus deliberando sermones conferre.

Ode 5. 148.

Ad portam orientalem sunt salices quarum rami alti surgunt, quarum frondes quam densae! Vespertinum tempus condixeramus; sed jam Lucifer in coelo apparet, et ipsius est magnus fulgor.

Ad portam (etc. ut supra).

Ode 6. 149.

Sepulchrorum valvae spinas habent, securi resecantur. Homo ille nequam a totius regni hominibus improbus habetur. Licet ita notus sit, non tamen (a nequitia) cessat; et diu est, ex quo ita se gerit.

Ad sepulchrorum valvas arboribus Mæi insidunt aves turmatim quae Tchi-hiao dicuntur. Hominis nequitia decantetur, et cantilenis carpitur; hominum licet fabula sit, nihil curat ille; sed postquam cecidit, tunc me cogitat.

Ode 7.

In aggeribus fluvio oppositis sunt picarum nidi, et in collibus est planta T[illegible] aspectu pulchra. Quis amici mei a me abalienat[illegible]! Animo autem doleo et apud me crucior.

In calendorum avorum aedibus via, quae in medio sternitur, vas ingens fictile, quod ibi reponitur, habet; in collibus autem est planta Ni pulchro aspectu. Quis contra me amico meo in aurem dicit? Animum autem meum timor male urit.

Ode 8.

Fulgens oritur luna, hominis elegantis et praeclara oris specie conspectus perturbati animi mei dolorem leniret. Sed jam animo crucior.

Exoritur luna. Hominis eleganti specie et placidis moribus dulcis conspectus animum a moerore recrearet meum; sed meus sollicitus est animus.

Micat luna oriens. Ad praeclari et splendidi hominis conspectum animus meus dolore contractus laetitia effunderetur. Sed moerore conficior.

Ode 9.

Ad pagum Tchou-ling quid ille (properat)? Scilicet hominem quemdam de nomine Hia-nan invisurus pergit; non quod ad pagum Tchou-ling ire velit, sed Hia-nan hominem illum it invisum.

Quem conscendere soleo equum instruite; ego in regione Tchou rus divertam; quem paravi equulum conscende, ego prandebo in regione Tchou.

Ode 10.

Juxta lacum illum est planta Pou, et flos nympheae; propter quemdam praeclara specie virum ego animo crucior. Quo me vertam? sive dormiens, sive

evigilans, non habeo, quid consilii capiam. Dolor ex oculis lacrymas, ex naso humorem mihi elicit.

Juxta lacum illum est planta Pou, est flos Kien; vir quidam oris specie praeclara, splendidus et corporis procera statura, capillitium ex utraque parte genarum quam venustum gerit. Sive dormiam, sive vigilem e somno, quo me vertam non habeo, et sollicito sum animo.

Juxta lacum illum est herba Pou, et flos nymphaeae Han-tan; vir quidam oris specie et splendore insignis, corporis statura praecellens, magnam dignitatem et majestatem prae se fert. Seu dormiam, seu non dormiam, animi impos fio, in lecto jacens corpus verso in omnes partes, et in faciem decumbo.

CAPUT 13.

CANTILENAE IN REGNO HOUI.

Ode 1. 151.

In veste ex pelle agnina magnifice se effert: in veste ex pelle vulpina imperatorem salutaturus pergit. Quomodo te non cogitaremus? sed (cum haec subit cogitatio) animus anxius moeret.

Agnina pelle indutus ipse sibi plaudit, vulpina autem pelle indutus in imperatoris aula versatur. Anne possimus de te minus cogitare? Sed animus meus dolore conficitur.

Ex pelle agnina vestis (tua) adipis concretae instar habet (et ejus albedinem imitatur); solis orientis radios reflectens mire splendet. Non possum quin te cogitem, sed animo despondeo.

Ode 2. /52

Album pileum quem gerunt videte; in luctu sunt et macilenta sunt facie et ex animo lugent.

Quem gerunt album pileum videte; ego vero dolore conficior. Vellem tecum simul ire.

Quas induunt vestes albas videte; ego vero a dolore temperare non possum; vellem tecum aliquid unum et idem fieri.

Ode 3.

Valles ferunt arbusculam Tchang-tchou cujus rami molles et flexibiles. Recens adhuc quam nitet, quam luxuriat. Pulchra es et beata tu quidem, et cognoscendi facultate non es praedita (o arbor!).

Valles arbusculam Tchang-tchou ferunt, hujus flores tactu molles: recens adhuc quam nitet! tu quidem sine domo laetaris (o arbor!).

In vallibus est arbuscula Tchang-tchou, cujus fructus tactu molles: recens adhuc quam nitet! tu quidem sine familia, laetaris.

Ode 4.

Non flat ventus, neque impetu facto aguntur currus. Viam autem, qua ad regnum Tcheou itur, videntes, dolore tabescimus.

Non propter venti turbinem, non propter curruum celerem et strepentem cursum; sed viam quae ducit ad regnum Tcheou cernendo dolore conficimur.

Quis pisces coquere novit? ollam tergere debet; quis ad occidentem iter dirigit suum? bonum nuntium referat ille.

CAPUT 14.

CANTILENAE IN REGNO TSAO.

Ode 1. 152.

Papilionis Feou-you alae sunt vestes quas induit, splendidae illae quidem; sed sollicito sum animo, quia vellem ipse ad me veniret et apud me maneret.

Papilionis Feou-you alae sunt vestes quas induit; et illae quidem quam ornatae et vario opere depictae! ego vero id scilicet laboro, ut ille veniat et apud me quiescat.

Papilio Feou-you levi saltu prosilit; (quas induit) e tela vestes nivem imitantur; in eo autem laboro, ut ille ad me veniat et remaneat.

Ode 2.

Praefectus ille, titulo Heou-jin (qui deducendorum hospitum curam gerit), fustem tollit, quem ostentat unco ferreo instructum. Sed quid sibi volunt illi, cum suis trecentis vestibus rubris?

Avis Ti sub pontem degit, nec tamen ejus alae madefiunt; homines hos non decent vestes.

Avis Ti sub pontem degit, nec madet ejus rostrum; homines hi qua valent gratia non contenti vivunt.

Herbae luxuriant, ex monte Nan-chan vapores attolluntur; juvenes et venustae puellae fame laborant.

Ode 3. 154.

Avis Chi-Kiou quae degit in arbore moro septem pullos habet; vir probus et sapiens in suo agendi modo sibi constans, non alius est ab illo qui erat, non alius est ab illo qui erat. Animus ejus habet instar nodi (qui difficile solvitur).

Avis Chi-kiou in moro et ejus pulli in pruno Mæi dicta degunt. Vir probus et sapiens zona ex

serico cingitur, zona ex serico cingitur, et pileum nigro colore induit.

Avis Chi-Kiou in moro, ipsius autem pulli in rubo. Vir probus et sapiens in suo agendi modo simplex, sine multiplici ingenio: viri simplicis speciem prae se fert. Ille est, qui possit quatuor regna ad optimum statum promovere.

Avis Chi-Kiou in moro et ejus pulli in corylo. Vir probus et sapiens regno praepositus suos optime regit; cum suos ita sapienter regat, quidni vitam suam in decies mille annos protrahere possit?

Ode 4. 155.

It fons et suis algidis aquis herbas agrestes et nocivas, quibus scatent agri, irrigat. Heu mihi! vel inter quiescendum evigilans suspiria duco, apud me cogitans, quo rerum statu nunc sit Tcheou dynastiae curia.

Fontis frigida allabitur aqua, et plantas Siao alluit, quae plantae confertae adcreverunt. Heu mihi! (etc. ut supra).

Fontis aqua frigida fluens plantas Tche, quae acervatim crevere, irrigat. Heu mihi! (etc. ut supra).

Luxuriant segetes; et nubilo coelo, pluvia imbuuntur. Quatuor regnis (i. e. imperio Sinensi) imperat rex (i. e. imperator) quidem, sed princeps Sun, qui est de titulo Pe, labori non parcit.

Caput 15.

CANTILENAE IN REGNO PIN.

Ode 1.

Septima anni lunatione sive septimo mense sidus Ho-sing dictum (vespere) ad occidentem declinat;

nona lunatione vestes (contra frigus) dantur. Primae (lunationis) diebus sunt venti, flant venti; secundae (lunationis) diebus saevit frigus, et frigore rigent capilli. Sine vestibus, sine penula quomodo possunt annum transigere? tertiae (lunationis) diebus aratrum paratur; quartae diebus fervet opus, et agri aratro sulcantur. Ego vero cum uxore et filiis ad fines australes tendo, (agricolis) victum suppeditaturus. (Qui rei agrariae praeficitur) Magnas de titulo Tien-tsun venit, (et diligentem agricolae operam cernens) laetatur.

Septima anni lunatione sidus Ho-sing (vespere) ad occasum vergit. Nona lunatione vestes dantur (quibus frigus tolerare possint), verno tempore sol novo fulgore fulget. Avis Tsang-Keng auditur. Puella secum canistrum elegans accipit, per semitas viarum pergit, mori folia tenera quaerens. Vere dies fiunt longiores, longiores. Turmatim, turmatim colligunt herbam Fan. Cum principis filio eundi tempus instat, sic puella (parentem domum deserere non sustinens) dolore conficitur.

Septima lunatione sidus Ho-sing ad occidentem vergit. Octava lunatione junci amputantur. Alendorum bombycum mense, mororum frondes decerpuntur; securis prae manibus habetur; et rami, qui in altum nimis adcrevere, resecantur, teneris autem ramis parcitur, eorum folia tantum decerpuntur. Septima lunatione cantare incipit avis Kuè; octava lunatione jam ad opus proceditur. Nigro et flavo colore fit tinctura. Rubeus color, splendidissimus color, ille erit pro vestibus principis.

Quarta lunatione planta Yao jam sine floribus in semen exire incipit. Quinta lunatione cantat cicada. Octava lunatione segetes jam maturae fiunt. Decima

lunatione folia decidunt. Primae (lunationis) diebus feram Ho dictam venantur. Ex vulpis captae pellibus vestes principi conficiuntur. Secundae (lunationis) diebus venando, ferasque in orbem agendo variisque ambitibus circumcludendo milites nostri vires exercent suas. Unius anni apros retinent sibi, apros autem triennes principi offerunt.

Quinta lunatione locustae species Tchong dicta 157
cruribus suis ciet strepitum. Sexta lunatione locusta Cha-ki alas suas extendit. Septima lunatione rure est insectum illud. Octava lunatione sub tecti margine foris degit. Nona lunatione est intus domi. Decima lunatione grillus sub lectum meum ingreditur, domi rimae et foramina obstruuntur. Mures suffimentis expelluntur et arcentur. Quae aperta patent, clauduntur et janua luto linitur. Agedum uxor mea et filii mei, ait paterfamilias, nunc novus instat annus, jam domum concedo hanc meam.

Sexta lunatione comedimus fructus Yu et fructus Tou dictos. Septima lunatione malvis et leguminibus decoctis vescimur. Octava lunatione zizipha pertica ex arbore dejiciuntur. Decima lunatione orizae segetes maturae sunt; ex oriza vina conficimus, quae verno tempore fundimus, iis quorum supercilia aetatem provectam prae se ferunt. Septima lunatione cucumeres et pepones comedimus; octava lunatione bifariam secamus cucurbitas (quibus in varios usus utamur); nona ricinum colligimus, lactucam silvestrem decerpimus, sicca ligna comburimus et agricolas nostros alimus.

Nona lunatione in horto areae solum paramus (ubi 158
segetes teramus); decima lunatione maturas fruges servamus et recondimus; scilicet varias species milii, varias species orizae, sesamum, varias species pisorum, et melanpyrum sive triticum atrum. Heu! agricolae

nostri, postquam rem agrariam nostram optime gesserunt, veniunt et indefessi domesticis operibus suam adhuc operam dant; (cuique suum assignatur opus) tu interdiu herbas agrestes demetito; tu noctu funes nectito; impigre domi fastigium, quod resarcias, conscendito; (nec multis post) variarum frugum et agrorum culturam rursus aggrediuntur.

Secundae (lunationis) diebus glaciem ex monte depromunt; tertiae (lunationis) diebus glaciem in fossa et loco umbroso ad id parato asservant; quarta diebus matutinis horis fit pulli et herbae Kiou oblatio. Nona lunatione saevit pruina; decima lunatione aream verrimus. Duobus vinis paratur convivium. Agnus mactatur, ad principis aedes properant, crateram ex bovino cornu attollunt, et sibi mutuo dies vitae aeternos adprecantur.

Ode 2. /162,

Tchi-hiao, tchi-hiao (dirae aves) mihi meos natos (pullos meos) abstulistis, ah parcite domum meam (nidum meum) subruere! heu! quanta diligentia, quanto amore, laboribus quantis hos natos meos alui!

Antequam coelum nubilum fiat et pluvia decidat, ego provido animo. Mori arboris radices depromo, quas ad meae domi portam et fenestras circumduco (rimas obstruens) nunc tu plebs infima! vos terrae filii! quis me lacessere ausit?

Cum domum et familiam amiserim meam, (novam domum mihi construo) manibus et ore, (unguibus et rostro) insto operi. Ea adveho, quae ad nidum meum sternendum necessaria sunt, et in acervum congero, (prae labore) os (rostrum) mihi dolet.

Alae meae jam detritae sunt, caudae meae pluma decidit, domus mea non est in tuto, flante vento, decidente pluvia concutitur. In his angustiis, quid aliud agam, quam in querelas erumpam?

Ode 3.

Ad montes orientales iter fecimus, et diu est ex quo inde reverti non licuit, jam ab oriente venimus, et coelo tenebricoso decidit pluvia, interea, cum ab orientali regione maxime velimus abire, animus noster occidentalem regionem cogitans dolore conficitur. Quid autem aliud possumus quam vestes paremus. Jam exercitus apparatum omittamus. En insectum Chou dictum rure, in arbore moro, silens et solitarium jacet, ecce etiam adest sub curru.

Ad montes orientales iter fuit nostrum, et inde redire jam diu non licet; ex orientali plaga iter repetendo nostrum, coelum tenebricosum et pluvia ingruit nobis. Certe herba Kouo-lo domui prostans ibi suas propagines per spiras trahit, centopea domum pariter totam occupat, aranea ad januam texit telam suam, cervus juxta domum sua posuit latibula; domi etiam est lampyris, quae lumen suum modo emittit, modo non. Ad haec non horrescit animus, sed haec maxime incumbit cogitatio.

Ad montes orientales profecti inde redire jamdiu non potuimus. Ab oriente veniendo, coelo nubilo nos imber aggreditur. Avis Kouan super formicarum luteo nido, in montis formam constructo, posita cantat; uxor domi suspirat. Sed jam cum bello sim redux, aqua conspersae aedes verruntur, foramina obstruuntur; jam licet mihi videre cucurbitas ex arbore castanea pensiles; anni sunt omnino tres, ex quo has videre mihi non licuit.

Ex montibus ad orientem positis, quo profecti sumus, redire jam diu non potuimus, inde iter remeantes pluvia coelo nubilo nos invadit. Crocea avis Tsang-keng suas mire depictas agitat alas volando. Jam puella it (nuptum); illius equi flavi et subrubri. Mater ejus ipsi alligat sudarium puellae. Ornatus novi sunt, varii sunt, sunt ipsi novem, sunt decem ornamentorum genera; cum suis novis ornatibus maximopere placet, sed illius vetera quid dicemus?

Ode 4. /160.

Secures nostrae fractae sunt, secures nostrae fractae sunt. Tcheou-kong in parte orientali bellum contra rebelles gessit, atque ita quatuor regna pacata in officio manent. Quod ille nostros velit solari labores, id ipsius magni animi argumentum profecto est.

Secures nostrae fractae sunt, confracta etiam jacula nostra. Tcheou-kong versus orientem bellum contra rebelles bellavit et quatuor regna (i. e. imperium) composuit, pacavitque. Quod princeps ea sit erga nos humanitate, id illi splendorem magnum, decus ingens conciliat.

Secures nostrae fractae sunt, disrupta etiam lignea jacula. Tcheou-kong ad orientem contra rebelles pugnavit, et quatuor regna pacificavit; quod ille nobis benigne studeat, id certe ex ipsius animi egregiis laudibus proficiscitur.

Ode 5.

Quomodo caeditur lignum, unde (securis) manubrium conficiatur? id sine securi fieri non potest. Quomodo uxor ducitur? sine nuptiarum conciliatore aut conciliatrice id non obtinetur.

Si lignum secabis unde (securis) manubrium conficias, unde securis manubrium conficias, manubrii forma tunc a te non procul aberit. Hanc duco in uxorem et matrimonii celebrandi vasa Pien, Teou dicta jam sunt ex ordine posita.

Ode 6. 161.

Novem saccos habet rete et in rete pisces Tsun et Fang devenerunt. Cujus conspectu fruor, illius viri vestes Kouen dictae quam splendidae! sunt acu pictae; miro opere ornantur.

Anser volando huc et illuc fertur juxta insulas in fluviis et lacubus. Princeps jam redux, nunquid non habet, quo divertat? apud te interim commoratur.

Anser volando circumit terras altas. Princeps iter repetit suum, nec revertetur, qui interim apud te degit?

Fruimur conspectu viri, splendidas vestes induti; ah principem nostrum apud nos degentem revocare parcite, nolite animum notrum maerore affligere.

Ode 7. 164.

Lupus (senex) agendo corpus suum, si antrorsum, collo suo cornoso utitur et sic se proripit; si retrorsum, utitur cauda sua. Princeps plenus modestiae, magnos animos gerens, magno splendore vir; in calceis rubris gravis est, et sui compos.

Lupus suum agendo corpus, si retrorsum, cauda sua utitur; si antrorsum, collo suo utitur, et se proripit. Princeps noster plenus modestiae, excelsus vir et splendidus ille est, qui sibi constans de virtute sua nihil remisit.

LIBRI CLASSICI CARMINUM.

Pars II.

dicta SIAO-YA,

(quod rectum est sed inferiore ordine).

Caput I.

Ode 1. 164.

Temperata voce clamat cervus, et herba odori rure pascitur; praeclarum hospitem apud me exc canitur fidibus Che dictis, canitur instrumento d Cheng, canitur instrumento Cheng; et lamina strumenti foramini opposita (aëre tremulo) agita Capsa (sericis plena) prae manibus tenetur, et hospiti noris causa offertur. Quos amicitiae vinculis nobis devi mus, ii virtutis excolendae regiam viam mihi ostend

Temperata voce clamat cervus et rure sese he odorifera pascit. Qui apud me degit praeclarus ho praestantissimi viri speciem prae se fert, magnus virtutis ejus splendor, nulla est illius erga populos curia, vel ipsis sapientibus praeit exemplo. Ego autem timum vinum depromo, et praeclarus hospes sese oble

Temperata voce clamat cervus et rure degens he Kin pascitur. Quem apud me habeo praeclarum pitem musico concentu excipio, resonant fidium ins menta Che et Kin dicta, resonant instrumenta et Che et voluptas, quae ex harmonia percipitur, insidet animo; Ego etiam optimum vinum depromo praeclari hospitis animum oblectem.

Ode 2. 165.

Itinere continuo, quin gradum sistant, procedunt quatuor equi, via regia pergunt longum iter. Nunquid redeundi desiderio minus tenentur? Sed res imperii nullam patiuntur moram, socordiam nullam. Interea tamen noster angitur, cruciatur animus.

Continuo gressu pergunt quatuor equi, equi autem corpore albo, jubis nigris validorum equorum speciem prae se habent. Nunquid redeundi desiderio minus tenentur? Sed imperatoris negotia non ea sunt, quae imperfecta relinqui et negligi possint. Sic negotia urgent, neque otiari vacat.

Turtur fertur in aëra, volando modo alta, modo ima affectat, et in confertas arbores quercus proripit se; res imperii incuriam non patiuntur ullam, neque intermitti possunt, interea patrem alendi non est otium.

Turtur fertur in aëra, modo volat, modo cessat, et super confertum rubum sistit se. Res imperatoris urget, neque intermitti potest. Sic matrem alendi non est otium.

Quatuor nigra juba, albo corpore equi currui junguntur, eunt cito gressu. Nunquid reditum minus cogitant? Sic hujus cantilenae auctor alendae matris caussam moniturus venit.

Ode 3. 167.

Quam nitent floridi campi in locis sive excelsis, sive depressis positi. Qui rem militarem gerunt virorum magnus numerus; impigre eunt, id vereri videntur, ne tanto muneri sint impares, neve regi suo non faciant satis.

Qui currui meo junguntur equulei, sunt, quibus currum moderor sex; lora madefacta esse diceres, (ita tactu mollia sunt); huc illuc circumcursando ubique interrogo et diligentissime investigo.

Non sunt mihi nisi mixto crine equi, et currus lora sex sicut sericum flexibilia sunt. Curro et habenas equis permitto. Diligenter interrogo et mecum attente consulto.

Non sunt mihi nisi jubis nigris, albo corpore equi, et currus lora sex madida esse diceres, ita flexibilia sunt. Currendo omnia diligenter sciscitor et perpendo.

Non sunt mihi nisi subalbo colore et mixto crine equi, sex lora, quibus equos rego, pari longitudine certant. Currendo omnia diligenter sciscitor et mecum considero.

Ode 4. /168.

Arboris Tchang-ti flores ex ramis extantes inprimis micant. Aetatis hujus homines inter, nullus est qui possit cum fratre conferri.

Si celebrandum funus agatur, tunc maxime apparet fraternus amor. Si (post praelium commissum) acervatim et promiscue jaceant (cadavera) in locis sive praeruptis sive depressis, tunc frater huc certe properat (fratris sui cadaver) quaesiturus.

Avis Tsi-ling in campis et locis excelsis degere solet. Frater magno sui animi studio molestiarum onus (mecum conjunctim) sustinet. Sunt quidem fideles amici, sed nihil nisi condolent mihi et alta ducunt suspiria.

Est ut fratres inter se privatos intra parietes simultates gerant; sed contra extraneos, qui ullum ex ipsis opprimeret, mutuo sibi sunt auxilio; sunt quidem amici, sed nihil se movent, nec suppetias veniunt.

Res difficiles si compositae sint et pace domi fruamur, tunc amicorum quam fratrum nos magis juvat conspectus.

Ad solennem oblationum ritum, vasa Pien-teou ex ordine componantur, et caerimoniis peractis) epulentur, vino multo indulgeant. Si fratres omnes adsint, concordi inter se animo, gaudio cumulato perfruentur, eo etiam amore inter se conjungentur, quò mater filiolum suum complectitur.

Si inter uxorem tuam et liberos tuos bene conveniat, amorque sit mutuus, tunc domus tua fidium Kin et Che harmoniam bene imitabitur; si fratres simul adsint (conjunctis inter se animis), concordia et laetitia etiam diuturna erit.

Si ita regere familiam tuam studeas, uxor et liberi tui magna fruentur felicitate. Haec perpendito, hujus rei satagito, revera ita esse, ut dico, experientia tua comprobabis.

Ode 5.

Lignum quod caeditur resonat et suum Tching-tching ingeminat. Avis quae suae compari adblanditur, cantando suum Ing-ing ingeminat; ex profunda valle prodiens altam arborem volando conscendit illa, et suum Ing-ing ingeminans, hac voce sua amicum inclamat suum. Sic aves videmus vocem habere, qua amicum inclament et comparem quaerant. Quid igitur? homo, cum homo sit, nunquid amicorum solus non quaeret consortium? Spiritus qui hanc meam doctrinam audit, mihi certe assentitur et eam denique animorum concordiae doctrinam asserit.

Qui conjunctis viribns ligna caedunt, suum Hou-hou clamando ingeminant; qui vinum conficiunt, hoc ope canistri aut herbarum opera defaecant. Pinguem agnum in convivium paravi. Seniores de eodem agnomine amicos invito, si venire negligent, quid tan-

dem ego? quidquid sit, non hoc debeo ita aegre ferre. Heu! aedes meas aqua conspersas diligenter verro, octo fercula appono, pinguem vervecem ad convivandum habeo, seniores diverso agnomine amicos invito, venire negligunt illi, ego autem quid agam? Quidquid sit, non propterea debeo ipsis succensere.

In locis praeruptis ligna caeduntur. Plurimum vinum defaecatur, vasa Pien-teou ex ordine posita sunt. Fratres non procul absunt; qui virtutis et beneficentiae sunt immemores, jejuno cibo amicos male excipiunt, et in eo sunt accusandi; ego autem quod suppetit vinum, hoc defaecatum exprimo; si vinum non suppetat domi, eo empturus, ut amicos excipiam; tympanum pulso et pulsatum Kan-kan suum ingeminat. Modo incurvo corpore, modo recto corpore salto. Cum vacat mihi, defaecatum vinum amicis fundo.

Ode 6. 171.

Coelum tibi (o rex) adsit, precamur, (solium tuum) stabiliat et firmissimum esse velit, tua omnia fortunet, faxit ut omnem gratiam et cumulatam facilitatem in dies majorem habeas. Faxit ut innumera prospera tibi a coelo contingant, nihilque adversi prosperis tuis admixtum esse velit.

Coelum tibi (o rex) adsit precamur, (solium tuum) firmet ac tueatur. Universa tua prospera faciat; ita ut nihil tibi nisi ex votis succedat. Te suis bonis omnibus coelum beare dignetur; longe dissitam tibi concedat facilitatem, cui nulla dies finem statuere potest.

Adsit tibi coelum, precamur, solium tuum confirmet, et omnia tua ad felicem exitum perducat. Prospera tua habeant instar montis, instar collis, instar

camporum in praecelso loco positorum, instar terrei montis, instar aquae scaturieutis, ita ut ad felicitatem tuam nihil addi possit.

(Diem ad solennia parentalia) seligimus; et corpore mundo animoque a vitiis purgato nos ad has caerimonias accingimus, vinum et escas paramus; inde sicut pios filios et nepotes decet, majoribus nostris offerimus; idque stato tempore, sive verno tempore fiat, et hic ritus tunc Yo appellatur, sive aestivo tempore et hic ritus See dicitur, sive autumnali et Tching vocatur, sive hiemali et hic ritus nomine Tchang insignitur. Ejusmodi caerimoniis, avorum nostrorum, tum qui titulo Kong gaudent, tum qui titulo regis insigniti sunt, memoriam celebramus, tunc (puer) qui inter ejusmodi caerimonias avorum nostrorum personam gerit, tibi (o rex) fausta annuntiat et immortalitatem.

Tibi adest et fausta multa concedit spiritus. Populi satis habent, quod singulis diebus habeant unde vescantur, sunt enim sine dolo, simplices. Gens (Sinensis) nigro capillitio decora, tua est (o rex) laus egregia.

Instar habeas lunae dimidiatae, quae ad plenilunium properat; solis orientis radios suos emittentis; montis Nan-chan vivendo aequare possis annos precamur, nihil unquam detrimenti accipias, nihil caduci habeas, quemadmodum pinus et cupressus quarum folia semper virentia alia ex aliis serie continua crescunt. Tu rerum vicissitudines extra positus, securus et beatus vivas.

Ode 7. 174.

Herbam Ouei colligere juvat, colligere juvat; herba Ouei jam crescere incipit. Redire juvat, juvat redire; jam annus est, ex quo profecti sumus. Do-

suum amisimus, familiam deseruimus propter barbaros boreales Hien-yun dictos; jam otiari non vacat propter barbaros Hien-yun.

Herbam Ouei colligere juvat, juvat colligere; herba Ouei tenera est, sic eam colligimus. Reditum cogitamus, reditum cogitamus, noster enim moerens animus non potest aliter, quin suum foras eliciat dolorem, fame et siti veluti premitur. Nobis praesidiariis militibus, qui hic sumus in excubiis, nondum tempus est de statione discedendi, interea non habemus quem ad sciscitandum mittamus.

Herbam Ouei colligere juvat, juvat colligere; sed hoc olus jam fit durum; revertamur, revertamur, jam enim decimam anni lunationem attigimus. Res imperatoris imperfecta relinqui non potest, sic domi non vacat cessare; quare angitur animus, et gravem aegritudinem patior. Certum mihi est abire, neque huc venire.

Quid ita floret et luxuriat? arbor Ti scilicet quae floribus micat suis. Qui sunt illi currus bellici? sunt sapientium virorum currus; qui illis militaribus curribus juncti sunt, quadrigarum equi quam generosi! Quomodo cessare domi liceret? una lunatio tribus victoriis illustratur.

Quadrigis junguntur equi et illi quidem quam validi! Vir sapiens (dux militum) sedet in curru, quem gregales milites circumstant et sunt pro custodia. Ex ordine procedunt quadrigae. Arcuum extrema ebore decorantur, et pharetrae ex ferae Yu dictae pellibus confectae sunt. Nunquid ulla elabitur dies quin omnia (ad pugnam) parentur? instat enim hostis et barbari Hien-yun proxime imminent.

Antea cum ad bellum pergerem, viridantia erant saliceta; nunc me redeunte nix multa decidit. Iter longum, et prae victus penuria fame premor, siti ardeo; dolore conficior, et maerorem meum quis novit?

Ode 8.

Qui rure extra urbem versantur currus meos ire jubeo. Ex aula imperiali prodiit edictum, quo proficisci jubeor; sic aurigam meum accerso, et ipsi iter meum annuntio. Res imperii maxime urgent, nec morae locus relinquitur.

Qui in confiniis versantur currus meos ire jubeo. Ordinatur acies et vexillis, quae ex ordine procedunt, varia signa imponuntur, scilicet serpentis et testudinis figura, nec non avium effigies. Haec signa aëre ventilantur; interea ego sollicito sum animo, et auriga meus eo magis tenuatur macie.

Imperatoris edicto Nan-tchong (dux exercitus) regioni Cho-fang it suppetias, proficiscitur et secum alia curruum bellicorum ducit agmina. Splendent exercitus varia vexilla, et spectantibus placent. Edixit mihi imperator, ut proficiscerer, et regionis Cho-fang custodiae invigilarem. Vir splendidus et fortissimus Nan-tchong barbaros Hien-yun profligavit.

Antea cum ad bellum pergerem milii florebant segetes; nunc autem cum redeam, nix multa vias facit lutulentas. Sed res imperatoris gravissima et maximi momenti, nec vacat domi cessare. Qui fieret, ut reditum minus cogitarem? sed Regium diploma tabulis ligneis insculptum vereor.

Locusta Ma-tcha dicta suum cantando ingeminat Yao-yao, locusta Fou-tchong subsultim graditur;

eum viri sapientis conspectu frui non licuit, tunc maereo et sollicito sum animo; postquam autem ejus conspectu frui licuit, tum pacato sum animo. Splendidus et fortis vir Nan-tchong bellum gerit contra Yong gentem rebellem, occidentales barbaros.

Verno tempore dies longiores, longiores fiunt, herbis et arboribus virent campi, crocea avis Tsang-keng modulata voce cantat et suum Kiai-kiai ingeminat cantando; plantam Fan passim colligimus, hic et illic in varias turmas distributi. Qui bello capti sunt (hostium duces) de quibus quaestio habetur, illi captivi tenentur. Est ut (milites nostri) jam revertantur. Splendidus et fortis vir Nan-tchong barbaros Hien-yun debellavit.

Ode 9.

Unica erat arbor Pyrus, cujus fructus pleni succo. Imperatoris negotia ad exitum perduci debent; nostri interea labuntur anni et jam decimam lunationem attigimus. Uxoris animus maerore conficitur. Est fortasse, ut militibus quiescere, et jam ab armis cessare detur.

Unica erat arbor Pyrus, cujus luxuriant frondes; imperatoris negotia ad ultimum exitum perduci debent. Interea tamen animus noster cruciatur. Plantis et arboribus virent campi. Sed uxoris animus sollicitatur, et fit anxius. Est fortasse ut milites a bello redeant.

Superato monte boreali, ibi plantam Keou-k (oxiam cantham sinicam) decerpunt. Imperatoris negotia ad exitum perduci debent. Interea parentes nostri sollicitos gerunt animos. Nostri ex ligno Tan currus detriti sunt, quadrigarum equi macilenti. Milites bello reduces non longe absunt.

Nihil se movent, non reditum parant, atque ita maereo et animo crucior. Jam praeteriit dies ipsorum reditui condictus, necdum redivere, atque ita curis innumeris meus uritur animus. Omnes vaticinandi vias adhibeo, testudinem et herbam Tche consulo; et auguria eos adventare praenuntiant. Est igitur ut milites propius hinc absint.

CAPUT 2.

Ode 1. 179.

Pisces in retia nostra deciderunt, scilicet pisces Tchang et Cha dicti. Vir sapiens vino abundat, illoque optimo.

Pisces in retia deciderunt, scilicet pisces Fang et Li. Vir sapiens vino abundat illoque optimo.

Pisces in retia deciderunt scilicet piscis Yen dictus et piscis cyprinus. Vir sapiens vino abundat illoque optimo.

Plurima sunt eaque optima; optima sunt et in utendo modus est, et ordo servatur. Est rerum abundantia, iisque fruendo fit temporum discrimen.

Ode 2. 182.

In parte australi sunt pisces Hia dicti, quos piscantur ope retium quae ex tenui arundine compacta sunt. Viro sapienti suppetit vinum, et bonos hospites convivio excipit, festosque agit dies.

In regione australi sunt pisces Hia, sic mittuntur retia. Viro sapienti suppetit vinum, sic ille cum bonis hospitibus convivia celebrat, et laetitiae se tradit.

In regione australi sunt arbores ramis deorsum ver-

gentibus, unde cucurbitae pensiles, illaeque dulci sapore. Viro sapienti suppetit vinum, et cum bonis hospitibus agit convivium, eosque sibi amore devincit.

Cauda brevi aves alas impellunt suas volando, frequentes conveniunt. Viro sapienti suppetit vinum, et cum bonis hospitibus epulatur, neque amicos oblivisci unquam potest.

Ode 3. 183.

In monte australi crescit herba Taï et in monte boreali herba Lae. Vir sapiens illeque amantissimus est imperii columen: vir sapiens illeque amantissimus vivat, et in aeternum vivat.

Mons australis est moris consitus et borealis mons populeis arboribus gaudet. Vir sapiens et amantissimus est imperii lumen: vivat vir sapiens, et in aeternum vivat.

Mons australis fert arbores Ki dictas, et borealis prunos arbores. Vir sapiens et amantissimus est pater populi: viri sapientis et amantissimi omnibus numeris absoluta virtus.

Mons australis arboribus Kao, borealis arboribus Niou consitus est. Vir sapiens et amantissimus, atque, utinam quam portendunt ejus supercilia, longam vitam vivat. Vir sapiens et amantissimus, atque utinam ex sua virtute dignos fructus percipiat!

In monte australi est arbor Kiu et in boreali arbor Yu. Vir sapiens et amantissimus atque utinam ad summam senectutem vivat! et vultus ejus prae senio flavum colorem induant! vir sapiens et amantissime,

atque utinam tibi post multos annos seniori adstent, qui senectutem tuam diligenter alant et foveant.

Ode 4. /84.

Planta Siao quam alte assurgit! madet illa rore guttatim deciduo. Nunc, sapientes viri, conspectu vestro frui licet; sic meum erga vos animum testari, convivari, ludere, et ridere juvat, atque ita genialem agere diem.

Planta Siao alte assurgens rore guttatim deciduo tota madefit. Viri sapientes, qui hic adestis, excellentes et splendidi viri, constantes eritis in colenda virtute, sic in multos annos vitam vestram protrahetis.

Planta Siao quae alte adcrevit tota stillat rore guttatim deciduo. Quando quidem jam mutuo conspectu fruimur, o viri sapientes, jam convivium splendidum celebrare, jam gaudere placet. Videte ut vobis cum fratribus vestris bene conveniat, virtuti colendae sedulam detis operam, et sic in multos annos vitam felicem agere possitis.

Planta Siao alta illa quidem, rore guttatim deciduo, tota fit roscida. Viros sapientes jam congredi datur; ipsorum currus, qui magno numero adsunt, et curruum habenas, et lora cernere juvat, tintinnabula, quae ex curru et equorum frenis pendent, strepentia juvat audire. Omnia sint vobis fausta, ita velim, o viri sapientes.

Ode 5. /85.

Ros multus decidit nec, nisi calore solis, herbae siccari possunt. Jam cessare juvat, jam genio indulgere, noctu convivemur, nec domum nisi vino madidi revertamur.

Roris vis magna luxuriantibus herbis insidet; genio indulgeamus, noctem convivando insumamus, et quamvis in domi penetralibus degamus, urbanitatis et rationis leges diligenter servemus.

Ros multus dumis et salicibus insidet. Periti et fide vestra insignes, sapientes viri, quotquot hic adestis, convivandi leges optime novistis.

Arborum Tong, Y fructus ex ordine positi in arbore crescunt. Viri sapientes vel ipsa inter gaudia nihil nisi decori et urbanitatis legibus accommodati prae se ferunt.

Caput 3.

Ode 1. 186.

Sunt mihi rubro colore arcus, quos apud me reconditos servo; cumque aliquis clarus hospes me convenit, eum his arcubus libenter dono: campanam et tympanum ex ordine colloco; et aliquantum temporis convivio celebrando et hospiti excipiendo insumo.

Arcus habeo rubro colore, quos in dorsum reclinatos apud me asservo; si quis optimus hospes ad me adiverit, ejusmodi donis animum illius libenter oblecto. Campana et tympanum ex ordine statuuntur, et aliquantisper ipsum honore debito excipio.

Rubros arcus mecum habeo, quos in suo involucro diligenter servo. Quando optimus hospes ad me venit, his muneribus ejus animum libenter devincio; campana et tympano ex ordine positis, aliquantisper vina hospiti funduntur.

Ode 2. 185.

Luxuriat herba Go quae in locis praeruptis crescit.

Viri sapientis conspectu gaudeo et inter laetandum decentiae non sum immemor.

Luxuriat planta Go, et in locis aquosis crescit. Viri sapientis conspectu fruor, et ita laetor ut non magis laetarer, si me quingentis conchyliis donavisset.

Luxuriat planta Go et in collibus crescit. Viri sapientis conspeotu fruor; et ita laetor, ut non magis laetetur, si me quingeutis conchyliis donavisset.

Populea cymba secundo aquae cursu fertur, modo sursum attollitur eundo, modo deorsum demittitur. Postquam vir sapiens in meum venit conspectum, tranquillo factus sum animo.

Ode 3. /8.

Sexta anni lunatione jam cessare non vacat; fervet opus et bellici currus parati sunt; quadrigarum equi fortes et validi; milites jam habent proprias et usitatas vestes. Barbari Hien-yun dicti viribus suis invaluere; et nos ad angustias adegere; sed imperator contra barbaros mittens exercitum, rem imperii restituit.

Quadrigarum equi, illique nigri paribus inter se viribus et colore certant. Illos certe fraeno parere docuerunt, et os equi habent docile. Sexta lunatione, ista anni tempestate vestes nostrae confectae sunt. Sic paratis vestibus triginta stadiorum iter (diurnum) confecimus. Imperatoris exercitus contra rebelles exivit et opem imperatori tulit.

Quadrigarum equi, ingentes illi et pingues magnam speciem prae se ferunt et sunt ad fraenum dociles. Contra barbaros Hien-yun aliquantum pugnavimus, et rebellibus debellatis nostra fuerunt praeclara

merita. Disciplina militaris diligenter servata fuit, atque ita rem bellicam agendo imperium pacatum et confirmatum fuit.

Barbari Hien-yun male sani regiones Tsiao-hou simul invaserunt, regiones Hao-fang vastaverunt et ad King-yang regionem usque grassati sunt. Quare vexilla surgunt nostra, in quibus videre est aves depictas; micant et fulgent signa nostra, magnis decem curribus juncti equi praeeunt (exercitui), et viam sequentibus monstrant.

Bellici currus jam opere completo, sive eos ex anteriore, sive eos ex parte posteriore circumspiciamus. Quadrigarum equi firmi et validi, firmi et validi quidem, sed exerciti sunt et fraeno parere didicerunt. Contra rebelles Hien-yun aliquantum pugnavimus, et his domitis ad regionem Tai-yuen pervenimus; Ki-fou ille (dux exercitus) rei litterariae et bellicae peritus. Is ille est, qui omnibus regnis ad imitandum proponatur.

Ki-fou ille (bello redux) convivia laetus celebrat, pulcher et beatus ille quidem praeclare secum agi gaudet. Ex regione Hao venimus et diu est ex quo profecti sumus; itaque amicis, quotquot sunt, vina fundimus, testudinis carnem torremus, ex pisce cyprino minutal et cibum intritum conficimus; quis autem in convivio partes praecipuas agit? Tchang-tchong ille scilicet, qui sua in parentes pietate, et in fratres natu majores reverentia insignis est.

Lactuca agrestis decerpitur in novalibus agris, sive illis qui a biennio, sive illis qui ab anno aratrum et culturam noverunt, Fang-chou (dux militum) rem

bellicam curat; tria millia curruum ducit; milites ejus strenui et repellendis hostibus fortes. Dux Fang-chou proficiscitur; quadrigarum equi vario colore distinctis crinibus, ex ordine ire noverunt; bellici currus rubro colore decori ex arundineis cannis intextas mattas habent, quibus circumteguntur; pharetrae sunt ex piscium pellibus; equorum colla variis phaleris, capistris et habenis decorantur.

Lactucam agrestem colligunt in agro qui duobus abhinc annis excoli coepit, et qui in medio pago positus est. Qui rem bellicam curat Fang-chou tria curruum millia secum habet, et micant ejus vexilla; Fang-chou dux exercitus iter aggreditur; curruum rotae depictae loris intextis religantur. Octo tintinnabula suum personaudo Tsang-tsang ingeminant. Vestes induit imperatoris mandato, dignitatis quam sustinet insignia, et illas quidem splendidas. Gemmas, quae porrorum viridem colorem imitantur virides secum gerit, quae perstrependo suum Tsang-tsang ingeminant.

Avis Sun dicta cito volatu ad coelum usque se proripit; deinde turmatim convenit et sistit se. Ducis Fang-chou tria sunt millia curruum, milites autem repellendis hostibus fortes et strenui. Proficiscente Fang-chou bellicorum curruum milites tympanum pulsant. Militum agmina, alias bis mille et quingentis militibus constant, et eorum ordinatur acies; alia quingentis militibus continentur, ad quos dux militum sua dirigit mandata. Prudentia et fortitudine praestat Fang-chou noster. (Cum pugnae signum datur) pulsantur tympana et pulsata placidos edunt sonos. Cum receptui canitur, majores plenioresque eduntur soni. 188

Regionis King-man rudes et imperiti incolae, vos magno regno bellum indicitis, sed dux Fang-chou aetatis licet proveetae firmo adhuc animo, firma est mente. Proficiscitur ille, et quos bello capit, de iis belli rationem expetit, captivosque secum abducit; bellicorum curruum multitudo quanta! Haec vis ingens curruum sonos edit ut tonitru, terrorem incutit ut fulmen; peritus et fide insignis Fang-chou barbaros Hien-yun dictos, rebelles debellavit, et barbari Man-king perterriti veniunt (victoris imperio se dedituri).

Ode 5.

Currus nostri firmi sunt. Equi nostri sunt inter se pares. Quadrigarum equi pingues. Junguntur curribus equi; et prope est ut ad orientem eamus.

Currus venatici opere completi sunt; quadrigarum equi bene pasti pinguefacti sunt. Ad orientem regio scatet herbis agrestibus. Curribus junguntur equi, et prope est ut eamus ad venatum.

Qui rei venaticae praeficitur homines ad venationem seligit, eosque magno numero. Vexilla constituit, signa erigit. Apprehenduntur ferae in regione Gao.

Quadrigis junguntur equi et illi ex ordine alii ex aliis incedunt. In vestibus rubris et calceis aureo filo intextis principes dicto tempore conveniunt. Omnia ex ordine fiunt.

Venatores annulum pollici sinistro imponunt, et pelle humerum et brachium operiunt, sagittas quae arcui bene aptentur, comparant. Adsunt sagittarii et mihi (imperatori) adjutores adstant, sic vim magnam venationis et praedae obtinuimus.

Quadrigis equi fulvi junguntur, qui ad latera eunt, equi ex ordine incedunt, nihilque deflectunt. Regionis ubi versantur leges non praetergrediuntur venando. Sagittas mittunt, nec frustraneo ictu.

Agmine facto pergunt equi hinnientes, micant vexilla quam multa! pedites et aurigae nihil tumultus cient; imperatoris magnam apothecam non implet ex venatione praeda (in cujus partem alii veniunt).

Hic vir noster peregre abit; euntium strepitus fit, sed loquentium vox nulla auditur. Verus est sapiens, qui magna perficere valeat.

Ode 6. /95.

Favente die nos spiritui preces fudimus: currus venatici opere completi sunt. Quadrigarum equi pingues facti: collem conscendimus, et (ferarum) gregem persequimnr.

Dies Keng-ou dicta fausta est dies, et equos nostros selegimus. Ferae turmatim convenerunt, gregatim convenerunt cervae juxta amnem Tsi-tsu, qui locus est imperatori ad venatum selectus.

Campos in praeruptis locis positos respicimus, ecce ferarum numerus ingens illuc convenit; festinamus, accurrimus, jam sustinemus gradum nec properamus; feris occurrimus ternis et ternis, binis et binis; adsunt mihi quotquot sunt socii; vires jungimus, et feris persequendis imperatoris animum recreamus.

Arcum meum compono et nervo sagittam impono. Parvum aprum jaculor et sylvestrem taurum eumque magnum occido; inde hospites excipio, quibus dulcia vina fundo.

Regionis King-man rudes et imperiti incolae, vos magno regno bellum indicitis, sed dux Fang-chou aetatis licet proveetae firmo adhuc animo, firma est mente. Proficiscitur ille, et quos bello capit, de iis belli rationem expetit, captivosque secum abducit; bellicorum curruum multitudo quanta! Haec vis ingens curruum sonos edit ut tonitru, terrorem incutit ut fulmen; peritus et fide insignis Fang-chou barbaros Hien-yun dictos, rebelles debellavit, et barbari Man-king perterriti veniunt (victoris imperio se dedituri).

Ode 5.

Currus nostri firmi sunt. Equi nostri sunt inter se pares. Quadrigarum equi pingues. Junguntur curribus equi; et prope est ut ad orientem eamus.

Currus venatici opere completi sunt; quadrigarum equi bene pasti pinguefacti sunt. Ad orientem regio scatet herbis agrestibus. Curribus junguntur equi, et prope est ut eamus ad venatum.

Qui rei venaticae praeficitur homines ad venationem seligit, eosque magno numero. Vexilla constituit, signa erigit. Apprehenduntur ferae in regione Gao.

Quadrigis junguntur equi et illi ex ordine alii ex aliis incedunt. In vestibus rubris et calceis aureo filo intextis principes dicto tempore conveniunt. Omnia ex ordine fiunt.

Venatores annulum pollici sinistro imponunt, et pelle humerum et brachium operiunt, sagittas quae arcui bene aptentur, comparant. Adsunt sagittarii et mihi (imperatori) adjutores adstant, sic vim magnam venationis et praedae obtinuimus.

Quadrigis equi fulvi junguntur, qui ad latera eunt, equi ex ordine incedunt, nihilque deflectunt. Regionis ubi versantur leges, non praetergrediuntur venando. Sagittas mittunt, nec frustraneo ictu.

Agmine facto pergunt equi hinnientes, micant vexilla quam multa! pedites et aurigae nihil tumultus cient; imperatoris magnam apothecam non implet ex venatione praeda (in cujus partem alii veniunt).

Hic vir noster peregre abit; euntium strepitus fit, sed loquentium vox nulla auditur. Verus est sapiens, qui magna perficere valeat.

Ode 6. 193.

Favente die nos spiritui preces fudimus: currus venatici opere completi sunt. Quadrigarum equi pingues facti: collem conscendimus, et (ferarum) gregem persequimnr.

Dies Keng-ou dicta fausta est dies, et equos nostros selegimus. Ferae turmatim convenerunt, gregatim convenerunt cervae juxta amnem Tsi-tsu, qui locus est imperatori ad venatum selectus.

Campos in praeruptis locis positos respicimus, ecce ferarum numerus ingens illuc convenit; festinamus, accurrimus, jam sustinemus gradum nec properamus; feris occurrimus ternis et ternis, binis et binis; adsunt mihi quotquot sunt socii; vires jungimus, et feris persequendis imperatoris animum recreamus.

Arcum meum compono et nervo sagittam impono. Parvum aprum jaculor et sylvestrem taurum eumque magnum occido; inde hospites excipio, quibus dulcia vina fundo.

Ode 7. 197.

Anseres sive magni sive parci volando suum Sou Sou ingeminant alis perstrepentibus. Nos exivimus, iter facimus et in locis desertis degentes miseram vitam vivimus. Nostra omnium sors est miseranda; sed eorum qui parentibus suis orbi facti sunt, et earum quae virum suum amiserunt, quis vicem non doleat?

Magnus anser volando medio lacui insidet; nos quiescere quaerentes toti sumus in erigendis ex luto parietibus; et in quantiscumque laboribus versemur, erit fortasse ut nobis quiescere detur.

Magnus anser volando suos edit gemitus et gemendo suum Kao-kao ingeminat. Qui rerum prudentia praestat, hic solus me (carmina canentem) in moerore jacere ait. Qui autem imperitus est, et male sanus, solus ille me (ita canentem) ostentationis et superbiae insimulat.

Ode 8. 194.

Jam noctis quantum processit temporis? nondum nox media datur. Quae in atrio sunt faces lumen suum emittunt. Sapientes viri veniunt, strepunt tintinnabula, et suum Tsiang-tsiang ingeminant.

Jam noctis quantum processit temporis? jam praeteriit media nox, necdum adventat primum diluculum, jam quae in atrio sunt faces lucem dubiam dant. Sapientes viri adveniunt, tintinnabula constrepunt et ex strepitu arguitur ipsos non longe abesse.

Jam noctis quantum processit temporis? dies adventat; quae in atrio sunt facium lumen jam album induit

colorem. Viri sapientes adveniunt, et micant eorum vexilla.

Ode 9.

Toto suo aquarum profluvio in mare confluunt, et suum mari flumina testantur obsequium; regulorum instar qui imperatorem obsequii causa conveniunt, tum verno tempore et hic ritus dicitur Tchao, tum autumnali et dicitur Tsong. Avis Sun pernicibus alis, volat illa, deinde quiescit: fratres nostri regni homines, amici nostri turbis imperii nihil heu! moventur. Nunquid parentibus orbi sunt? (qui parentum suorum vicem non deflent).

Pleno cursu fluunt flumina et magnos fluendo volvunt fluctus. Pernicibus alis avis Sun surgit illa, et volando altiora affectat: qui rationis et aequitatis leges violant homines, illos cogitando sive stemus sive ambulemus vehementer angimur, nihil nostrum potest flectere dolorem, nulla horum malorum nos potest capere oblivio.

Pernicibus alis praedita avis Sun circa colles gyrat volando: falsi rumores sparguntur in vulgus, et nemo homo est, qui protervorum linguam coerceat. Vos amici mei vobis diligenter invigilate; sic homines illi nequam et maledici, mordere volentes, offendent solido.

Ode 10.

Cantat ciconia in novem insulis, quae in medio lacu positae sunt; ejus vox in campestribus locis longe lateque auditur. Piscis in aquarum gurgite latet, accidit autem, ut in locis palustribus degat. Amoenus ille hortus arboribus Tan dictis consitus est, ad quarum radices jacent folia decidua: in aliis montibus lapides sunt cotes.

Cantat ciconia in novem insulis, quae in lacu medio positae sunt; ejus voce coelum personat. Piscis in locis palustribus degit, est etiam ut in aquarum gurgite lateat. Amoenus ille hortus arbores Tan habet, ad quarum radices, arbores mori adcrevere: in aliis montibus sunt lapides ad poliendas gemmas.

Caput 4.

Ode 1. 196.

Non te fugit o Ki-fou! me esse imperatori pro unguibus et rostro, et imperatoris tutelam mihi totam incumbere. Quid igitur me in hunc plenum laboribus ocum vocas et me eo adigis, ubi quiescere minime licet?

Non te fugit o Ki-fou! me esse imperatori pro unguibus, ipsius custodem militem; qui fit igitur, ut me ad tantos labores compellas, ita ut nullus laborum meorum sit finis.

Male sanus es o Ki-fou! qui me ad tantas aerumnas adigis. Mater mea (filio destituta) jam per se ipsa victum sibi parat.

Ode 2. 198.

Equuleus albo colore micans horti mei teneris herbis pascatur. Pedes ejus compedibus detineantur, fune quem gerit collum ejus religetur. Debet hodiernum diem transigere homo ille, hic morabitur seque a laboribus recreabit.

Equuleus albo colore nitens horti mei fabis pascatur. Pedes ejus compedibus detineantur, fune quem gerit, collum ejus religetur. Debet hac nocte pernoctare homo ille, et apud me degens animum oblectabit suum.

Qui advenit equuleus albo colore micat. Tu princeps de titulo Kong, tu vir princeps de titulo Heou, nullus sit gaudiorum tuorum finis; sed animo tuo ab omni ambitione remoto modum statuas velim, et secedendi animum vincas tuum.

Equuleus albens in concava valle pascitur recentium herbarum fasciculo uno: homo autem ille gemmae habet instar. Sed nolito, amice mi, tuos sermones cum auro et gemmis conferre, neque animum tuum a me divelli patiaris.

Ode 3. 200.

Croceae aves, aves croceae ah! parcite in segetes nostras involare, fruges nostras nolite rostro petere. Hujus regni homines male nos habent, sic nos ad proprium regnum et ad nostros consanguineos revertemur.

Croceae aves, croceae aves, nolite ad moros arbores convolare, nolite milium nostrum, Kao-leang dictum, rostro appetere. Hujus regni homines nolunt nobiscum simul habitare. Sic ad nostros redimus, et fratres nostros revisuri abimus.

Aves croceae, croceae aves, a nostris quercubus procul este; milium nostrum depascere abstinete. Hujus regni homines nobiscum vivere renuunt, sic seniores consanguineos nostros revisuri migramus.

Ode 4. 199.

Ego loca campestria peragro, et ex malis lignis tabulas, quibus parietes compingam, conficio. Propter matrimonium meum ad tuam divertor domum, si me alere negabis, ego ad propria redibo.

In locis campestribus herbam Tchou decerpo. Propter matrimonium ad te diverto. Si alere me minus volueris, reditum cogito.

In locis campestribus plantam Fou colligo. Relicto priore matrimonio, novas nuptias meditamur, non eo quod quaeramus divitias, sed alia ducimur ratione.

Ode 5.

Haec loca fluvius alluit et fluvii ripae (sine anfractibus) ex ordine positae sunt. Altus et magno circuitu mons Nan-chan haec loca protegit; hic sunt arundines, quae confertae creverunt, et quasi pini arbores regionem obumbrant. Magna est vel inter fratres animorum concordia, et (harum regionum incolae) nullas inter se simultates gerunt.

Nepos in avi et aviae hereditatem venit, aedes construuntur, et plurimi surgunt parietes, portae vel occidentem vel austrum respiciunt. Ibi sedem figit, ibi habitat, ibi jocis indulget, ibi sermones miscet.

Superius et inferius optime inter se compacti (lignei asseres). Ad fundamenta jacienda, domi solum repetitis ictibus consolidatur. Aedes non fiunt ventis et imbribus perviae; ita construuntur, ut aves et mures inde arceantur. Vir autem sapiens his substructionibus sibi splendorem conciliat.

Hominis habet instar in pedes arrecti (ita cautus est et prudens), instar sagittae quae contentis viribus emittitur, et cursu citissimo fertur, avis, quae terrefacta est, phasianus, qui pernicibus alis fertur in aëra. Ejusmodi vir sapiens prodit, et venit in conspectum.

Domui prostat atrium in plano et recta positum, altis columnis decoratum, austro obversum, multo lumine collustratum. Amplum est illud spatium, quod parietes inter collaterales interjacet: in aedibus illis quiescit vir sapiens.

Humi sternuntur storeae ex paleis intextae, quibus superponuntur mattae opere subtiliore contextae; ibi decumbit et somnum carpit (vir sapiens), e somno evigilans somnia, inquit, mea mihi interpretare; fausta sunt somnia, quomodo fausta? non somniasti nisi ursos, nisi ursos Pæi dictos, nisi dracones Houei dictos, nisi serpentes.

Accedunt vates somnia interpretaturi. Ursi illi, inquiunt, prolem masculam portendunt. Serpentes autem prolem foemininam.

(Non falsa sunt omina) Nascitur filius, et supra lectum reponitur, splendidis vestibus involvitur. Puero dantur crepundia, scilicet sceptrum Houei dictum, illudque dimidiatum. Pueri ingens vagitus; huic dantur rubro colore splendidae vestes, quae corporis partem inferiorem cooperiant. Natus est ille imperii dominus et rex, et ipsi debetur imperium.

Filia nascitur, et nata humi reponitur; linteis et pannis involvitur; tegula ipsi apponitur. Satis erit, si a culpa vacabit, quid enim boni praestare proterit mulier? Quomodo vinum conficiatur, esca coquatur, ea sunt quae consultare debet. Eo incumbere inprimis debet, ne parentibus fiat molesta; haec sunt mulieris munia.

Ode 6. 204.

Quis te dicat ovem non habere, cum greges tui singuli trecentis omnino ovibus constent? quis te dicat bovem non habere? Si eos tantum numeravero boves, qui rufo corpore, nigro sunt ore; tibi sunt ejusmodi boves nonaginta. Adveniunt oves tuae, neque arietant cornu; boves tui adveniunt, et aures habent nitentes.

Greges tui modo ad vallem descendunt, modo ad lacum adaquantur, modo decumbunt, modo stant in pedes. Gregis pastor tuus venit humeris gestans contra pluviam vestes, capite gerens contra pluviam pileum; cibaria etiam secum advehit. Triginta rerum species, tibi necessaria omnia affatim suppetunt.

Pastor tuus venit; ligna et herbas colligit, feras et aves masculas et foeminas venatur, secumque affert. Oves tuae veniunt quam pingues, quam valentes, sine scabie, sine morbo. Si pastor innuerit et brachium moverit, hoc signo dato oves, nec mora, certatim aliae ex aliis caulas ingrediuntur.

Pastor somniando innumeros vidit, et pisces erant quos vidit, agros et limites vidit, et paucos homines vidit, qui agrorum curam gererent; pagos et urbes vidit, et multos homines qui pagorum curam gererent. Vates somnia interpretatus: quos innumeros vidisti et sunt pisces, illi, inquit, annonam divitem portendunt; agri illi et pagi etc. frequentem familiam praenuntiant.

Ode 7. 205.

Mons ille Nan-chan alto suo supercilio eminet, supra montem, infra montem illum non sunt nisi rupes; o Chi-in! o virum metuendum, o virum terribilem! Populi in te oculos intentos habent et animo sollicito quasi igne ardente absumuntur; prae timore jocosos sermones miscere minime audent. Imperio cadenti quomodo non prospicitur?

Altissimo supercilio mons Nan-chan arboribus et dumis late tegitur, fitque invius; o Chi-in! o virum metuendum! o te terribilem! iniquus es, quid ita? tempus instat cum coelum calamitates advehens poenas

gravissimas repetat; in dies crescit malum, et late serpit pernicies ingens. Nihil loquuntur populi nisi plena querimoniis verba, nec tamen ipsum sui poenitet, aut mores emendare cogitat.

Magnus imperii minister In-chi, is ille est, cui innititur dynastia Tcheou. Jus dicendi et auctoritas penes illum tota est. Orbi terrarum est pro repagulo, imperatori pro adjutore, ipsius est populorum paci consulere. (Jam cum officia sua neglexit ille) Coelum augustum nulla erga illum misericordia moveatur quidem; sed non par est, multitudinem in idem calamitatis barathrum nullo discrimine demergi.

Nihil scit, nihil videt (nec per se rem imperii curat), sic populus nihil ipsi fidit. Cavere deberet, ne rebus non disquisitis, negotiorum nullam curam gerens imperatorem decipiat. Aequi bonique consulens malos magistratus munere suo privare deberet; nec par est (propter praefectorum imperitiam) populos in discrimen vocari. Quid homines nihil verum periti munera gravia exercent? imperatoris generos dico et imperatricis fratres.

Augustum coelum, aequitatis immemor, nos in hanc tantam calamitatem vocat. Augustum coelum jam misereri non amat; imperium enim vult pessimo statu pessumire. Constantes animi sint principes nostri, tunc populi confirmato fient animo. Sint sapientes nostri aequitatis amantes, tunc populi iras et odia deponent.

Si augusto coelo morem non geramus, quis tandem erit malorum nostrorum finis? in menses singulos deteriori statu fimus. Plebi miserae quies nulla, prae

Regionis King-man rudes et imperiti incolae, vos magno regno bellum indicitis, sed dux Fang-chou aetatis licet proveetae firmo adhuc animo, firma est mente. Proficiscitur ille, et quos bello capit, de iis belli rationem expetit, captivosque secum abducit; bellicorum curruum multitudo quanta! Haec vis ingens curruum sonos edit ut tonitru, terrorem incutit ut fulmen; peritus et fide insignis Fang-chou barbaros Hien-yun dictos, rebelles debellavit, et barbari Man-king perterriti veniunt (victoris imperio se dedituri).

Ode 5.

Currus nostri firmi sunt. Equi nostri sunt inter se pares. Quadrigarum equi pingues. Junguntur curribus equi; et prope est ut ad orientem eamus.

Currus venatici opere completi sunt; quadrigarum equi bene pasti pinguefacti sunt. Ad orientem regio scatet herbis agréstibus. Curribus junguntur equi, et prope est ut eamus ad venatum.

Qui rei venaticae praeficitur homines ad venationem seligit, eosque magno numero. Vexilla constituit, signa erigit. Apprehenduntur ferae in regione Gao.

Quadrigis junguntur equi et illi ex ordine alii ex aliis incedunt. In vestibus rubris et calceis aureo filo intextis principes dicto tempore conveniunt. Omnia ex ordine fiunt.

Venatores annulum pollici sinistro imponunt, et pelle humerum et brachium operiunt, sagittas quae arcui bene aptentur, comparant. Adsunt sagittarii et mihi (imperatori) adjutores adstant, sic vim magnam venationis et praedae obtinuimus.

Quadrigis equi fulvi junguntur, qui ad latera eunt, equi ex ordine incedunt, nihilque deflectunt. Regionis ubi versantur leges, non praetergrediuntur venando. Sagittas mittunt, nec frustraneo ictu.

Agmine facto pergunt equi hinnientes, micant vexilla quam multa! pedites et aurigae nihil tumultus cient; imperatoris magnam apothecam non implet ex venatione praeda (in cujus partem alii veniunt).

Hic vir noster peregre abit; euntium strepitus fit, sed loquentium vox nulla auditur. Verus est sapiens, qui magna perficere valeat.

Ode 6. 193.

Favente die nos spiritui preces fudimus: currus venatici opere completi sunt. Quadrigarum equi pingues facti: collem conscendimus, et (ferarum) gregem persequimur.

Dies Keng-ou dicta fausta est dies, et equos nostros selegimus. Ferae turmatim convenerunt, gregatim convenerunt cervae juxta amnem Tsi-tsu, qui locus est imperatori ad venatum selectus.

Campos in praeruptis locis positos respicimus, ecce ferarum numerus ingens illuc convenit; festinamus, accurrimus, jam sustinemus gradum nec properamus; feris occurrimus ternis et ternis, binis et binis; adsunt mihi quotquot sunt socii; vires jungimus, et feris persequendis imperatoris animum recreamus.

Arcum meum compono et nervo sagittam impono. Parvum aprum jaculor et sylvestrem taurum eumque magnum occido; inde hospites excipio, quibus dulcia vina fundo.

Ode 7.

Anseres sive magni sive parci volando suum Sou Sou ingeminant aliis perstrepentibus. Nos exivimus, iter facimus et in locis desertis degentes miseram vitam vivimus. Nostra omnium sors est miseranda; sed eorum qui parentibus suis orbi facti sunt, et earum quae virum suum amiserunt, quis vicem non doleat?

Magnus anser volando medio lacui insidet; nos quiescere quaerentes toti sumus in erigendis ex luto parietibus; et in quantiscumque laboribus versemur, erit fortasse ut nobis quiescere detur.

Magnus anser volando suos edit gemitus et gemendo suum Kao-kao ingeminat. Qui rerum prudentia praestat, hic solus me (carmina canentem) in moerore jacere ait. Qui autem imperitus est, et male sanus, solus ille me (ita canentem) ostentationis et superbiae insimulat.

Ode 8.

Jam noctis quantum processit temporis? nondum nox media datur. Quae in atrio sunt faces lumen suum emittunt. Sapientes viri veniunt, strepunt tintinnabula, et suum Tsiang-tsiang ingeminant.

Jam noctis quantum processit temporis? jam praeteriit media nox, necdum adventat primum diluculum, jam quae in atrio sunt faces lucem dubiam dant. Sapientes viri adveniunt, tintinnabula constrepunt et ex strepitu arguitur ipsos non longe abesse.

Jam noctis quantum processit temporis? dies adventat; quae in atrio sunt facium lumen jam album induit

colorem. Viri sapientes adveniunt, et micant eorum vexilla.

Ode 9. 195.

Toto suo aquarum profluvio in mare confluunt, et suum mari flumina testantur obsequium; regulorum instar qui imperatorem obsequii causa conveniunt, tum verno tempore et hic ritus dicitur Tchao, tum autumnali et dicitur Tsong. Avis Sun pernicibus alis, volat illa, deinde quiescit: fratres nostri regni homines, amici nostri turbis imperii nihil heu! moventur. Nunquid parentibus orbi sunt? (qui parentum suorum vicem non deflent).

Pleno cursu fluunt flumina et magnos fluendo volvunt fluctus. Pernicibus alis avis Sun surgit illa, et volando altiora affectat: qui rationis et aequitatis leges violant homines, illos cogitando sive stemus sive ambulemus vehementer angimur, nihil nostrum potest flectere dolorem, nulla horum malorum nos potest capere oblivio.

Pernicibus alis praedita avis Sun circa colles gyrat volando: falsi rumores sparguntur in vulgus, et nemo homo est, qui protervorum linguam coerceat. Vos amici mei vobis diligenter invigilate; sic homines illi nequam et maledici, mordere volentes, offendent solido.

Ode 10. 198.

Cantat ciconia in novem insulis, quae in medio lacu positae sunt; ejus vox in campestribus locis longe lateque auditur. Piscis in aquarum gurgite latet, accidit autem, ut in locis palustribus degat. Amoenus ille hortus arboribus Tan dictis consitus est, ad quarum radices jacent folia decidua: in aliis montibus lapides sunt cotes.

Cantat ciconia in novem insulis, quae in lacu medio positae sunt; ejus voce coelum personat. Piscis in locis palustribus degit, est etiam ut in aquarum gurgite lateat. Amoenus ille hortus arbores Tan habet, ad quarum radices, arbores mori adcrevere: in aliis montibus sunt lapides ad poliendas gemmas.

Caput 4.

Ode 1.

Non te fugit o Ki-fou! me esse imperatori pro unguibus et rostro, et imperatoris tutelam mihi totam incumbere. Quid igitur me in hunc plenum laboribus ocum vocas et me eo adigis, ubi quiescere minime licet?

Non te fugit o Ki-fou! me esse imperatori pro unguibus, ipsius custodem militem; qui fit igitur, ut me ad tantos labores compellas, ita ut nullus laborum meorum sit finis.

Male sanus es o Ki-fou! qui me ad tantas aerumnas adigis. Mater mea (filio destituta) jam per se ipsa victum sibi parat.

Ode 2.

Equuleus albo colore micans horti mei teneris herbis pascatur. Pedes ejus compedibus detineantur, fune quem gerit collum ejus religetur. Debet hodiernum diem transigere homo ille, hic morabitur seque a laboribus recreabit.

Equuleus albo colore nitens horti mei fabis pascatur. Pedes ejus compedibus detineantur, fune quem gerit, collum ejus religetur. Debet hac nocte pernoctare homo ille, et apud me degens animum oblectabit suum.

Qui advenit equuleus albo colore micat. Tu princeps de titulo Kong, tu vir princeps de titulo Heou, nullus sit gaudiorum tuorum finis; sed animo tuo ab omni ambitione remoto modum statuas velim, et secedendi animum vincas tuum.

Equuleus albens in concava valle pascitur recentium herbarum fasciculo uno: homo autem ille gemmae habet instar. Sed nolito, amice mi, tuos sermones cum auro et gemmis conferre, neque animum tuum a me divelli patiaris.

Ode 3. 200.

Croceae aves, aves croceae ah! parcite in segetes nostras involare, fruges nostras nolite rostro petere. Hujus regni homines male nos habent, sic nos ad proprium regnum et ad nostros consanguineos revertemur.

Croceae aves, croceae aves, nolite ad moros arbores convolare, nolite milium nostrum, Kao-leang dictum, rostro appetere. Hujus regni homines nolunt nobiscum simul habitare. Sic ad nostros redimus, et fratres nostros revisuri abimus.

Aves croceae, croceae aves, a nostris quercubus procul este; milium nostrum depascere abstinete. Hujus regni homines nobiscum vivere renuunt, sic seniores consanguineos nostros revisuri migramus.

Ode 4. 199.

Ego loca campestria peragro, et ex malis lignis tabulas, quibus parietes compingam, conficio. Propter matrimonium meum ad tuam divertor domum, si me alere negabis, ego ad propria redibo.

In locis campestribus herbam Tchou decerpo. Propter matrimonium ad te diverto. Si alere me minus volueris, reditum cogito.

In locis campestribus plantam Fou colligo. Relicto priore matrimonio, novas nuptias meditamur, non eo quod quaeramus divitias, sed alia ducimur ratione.

Ode 5. 102.

Haec loca fluvius alluit et fluvii ripae (sine anfractibus), ex ordine positae sunt. Altus et magno circuitu mons Nan-chan haec loca protegit; hic sunt arundines, quae confertae creverunt, et quasi pini arbores regionem obumbrant. Magna est vel inter fratres animorum concordia, et (harum regionum incolae) nullas inter se simultates gerunt.

Nepos in avi et aviae hereditatem venit, aedes construuntur, et plurimi surgunt parietes, portae vel occidentem vel austrum respiciunt. Ibi sedem figit, ibi habitat, ibi jocis indulget, ibi sermones miscet.

Superius et inferius optime inter se compacti (lignei asseres). Ad fundamenta jacienda, domi solum repetitis ictibus consolidatur. Aedes non fiunt ventis et imbribus perviae; ita construuntur, ut aves et mures inde arceantur. Vir autem sapiens his substructionibus sibi splendorem conciliat.

Hominis habet instar in pedes arrecti (ita cautus est et prudens), instar sagittae quae contentis viribus emittitur, et cursu citissimo fertur, avis, quae terrefacta est, phasianus, qui pernicibus alis fertur in aëra. Ejusmodi vir sapiens prodit, et venit in conspectum.

Domui prostat atrium in plano et recta positum, altis columnis decoratum, austro obversum, multo lumine collustratum. Amplum est illud spatium, quod parietes inter collaterales interjacet: in aedibus illis quiescit vir sapiens.

Humi sternuntur storeae ex paleis intextae, quibus superponuntur mattae opere subtiliore contextae; ibi decumbit et somnum carpit (vir sapiens), e somno evigilans somnia, inquit, mea mihi interpretare; fausta sunt somnia, quomodo fausta? non somniasti nisi ursos, nisi ursos Pei dictos, nisi dracones Houei dictos, nisi serpentes.

Accedunt vates somnia interpretaturi. Ursi illi, inquiunt, prolem masculam portendunt. Serpentes autem prolem foemininam.

(Non falsa sunt omina) Nascitur filius, et supra lectum reponitur, splendidis vestibus involvitur. Puero dantur crepundia, scilicet sceptrum Kouei dictum, illudque dimidiatum. Pueri ingens vagitus; huic dantur rubro colore splendidae vestes, quae corporis partem inferiorem cooperiant. Natus est ille imperii dominus et rex, et ipsi debetur imperium.

Filia nascitur, et nata humi reponitur; linteis et pannis involvitur; tegula ipsi apponitur. Satis erit, si a culpa vacabit, quid enim boni praestare proterit mulier? Quomodo vinum conficiatur, esca coquatur, ea sunt quae consultare debet. Eo incumbere inprimis debet, ne parentibus fiat molesta; haec sunt mulieris munia.

Ode 6. 204.

Quis te dicat ovem non habere, cum greges tui singuli trecentis omnino ovibus constent? quis te dicat bovem non habere? Si eos tantum numeravero boves, qui rufo corpore, nigro sunt ore; tibi sunt ejusmodi boves nonaginta. Adveniunt oves tuae, neque arietant cornu; boves tui adveniunt, et aures habent nitentes.

Greges tui modo ad vallem descendunt, modo ad lacum adaquantur, modo decumbunt, modo stant in pedes. Gregis pastor tuus venit humeris gestans contra pluviam vestes, capite gerens contra pluviam pileum; cibaria etiam secum advehit. Triginta rerum species, tibi necessaria omnia affatim suppetunt.

Pastor tuus venit; ligna et herbas colligit, feras et aves masculas et foeminas venatur, secumque affert. Oves tuae veniunt quam pingues, quam valentes, sine scabie, sine morbo. Si pastor innuerit et brachium moverit, hoc signo dato oves, nec mora, certatim aliae ex aliis caulas ingrediuntur.

Pastor somniando innumeros vidit, et pisces erant quos vidit, agros et limites vidit, et paucos homines vidit, qui agrorum curam gererent; pagos et urbes vidit, et multos homines qui pagorum curam gererent: Vates somnia interpretatus: quos innumeros vidisti et tanti pisces, illi, inquit, annonam divitem portendunt; agri illi et pagi etc. frequentem familiam praenuntiant.

Ode 7. 205.

Mons ille Nan-chan alto suo supercilio eminet, supra montem, infra montem illum non sunt nisi rupes; o Chi-in! o virum metuendum, o virum terribilem! Populi in te oculos intentos habent et animo sollicito quasi igne ardente absumuntur; prae timore jocosos sermones miscere minime audent, Imperio cadenti quomodo non prospicitur?

Altissimo supercilio mons Nan-chan arboribus et dumis late tegitur, fitque invius; o Chi-in! o virum metuendum! o te terribilem! iniquus es, quid ita? tempus instat cum coelum calamitates advehens poenas

gravissimas repetat; in dies crescit malum, et late serpit pernicies ingens. Nihil loquuntur populi nisi plena querimoniis verba, nec tamen ipsum sui poenitet, aut mores emendare cogitat.

Magnus imperii minister In-chi, is ille est, cui innititur dynastia Tcheou. Jus dicendi et auctoritas penes illum tota est. Orbi terrarum est pro repagulo, imperatori pro adjutore, ipsius est populorum paci consulere. (Jam cum officia sua neglexit ille) Coelum augustum nulla erga illum misericordia moveatur quidem; sed non par est, multitudinem in idem calamitatis barathrum nullo discrimine demergi.

Nihil scit, nihil videt (nec per se rem imperii curat), sic populus nihil ipsi fidit. Cavere deberet, ne rebus non disquisitis, negotiorum nullam curam gerens imperatorem decipiat. Aequi bonique consulens malos magistratus munere suo privare deberet; nec par est (propter praefectorum imperitiam) populos in discrimen vocari. Quid homines nihil verum periti munera gravia exercent? imperatoris generos dico et imperatricis fratres.

Augustum coelum, aequitatis immemor, nos in hanc tantam calamitatem vocat. Augustum coelum jam misereri non amat; imperium enim vult pessimo statu pessumire. Constantes animi sint principes nostri, tunc populi confirmato fient animo. Sint sapientes nostri aequitatis amantes, tunc populi iras et odia deponent.

Si augusto coelo morem non geramus, quis tandem erit malorum nostrorum finis? in menses singulos deteriori statu fimus. Plebi miserae quies nulla, prae

curis quibus cruciamur ebriorum similes sumus. Quis imperii curam sustinens tantis malis imperii medetur? Si per se ipse imperium non regat, et regimini non incumbat (imperator), populi in aerumnis usque versabuntnr.

206, Altis cervicibus equi quadrigae junguntur, et quadriga vectus in singulas terrae plagas converto oculos, ubique sunt angustiae, neque ullus locus est, ubi equis possim pernnittere habenas.

Jam summa est nequitia vestra, jam inter vos digladiamini. Et si turbae aliquatenus sedentur, laetitiae vos traditis, similes illorum, qui sibi invicem vina fundunt.

Augustum coelum jam aequitatis fit immemor. Rex noster curis angitur. Ipsum non poenitet, immo qui hunc monent, iis succenset et cum ipsis gerit simultates.

Ego Kia-fou haec cecini carmina. Tu vero in quantis aerumnis versetur imperator attende, animum tuum excole, et imperii facilitatem procura.

Ode 8. 206,

Quarta anni lunatione tempore aestivo multa decidit pruina; meus autem curis cruciatur animus. Varii in vulgus sparguntur rumores; ego solus tantis malis moveor, et animi moeror acerrime me urit. In moerore meo mihimet cavere coactus, et dolorem meum palam facere non ausus, in morbum forte incidam.

Quid a parentibus auras vitales hausi? ideone, ut in haec mala devenirem? quare haec non sunt aetate mea, aut superiora, aut posteriora, et in aetatem meam

ita apprime coincidunt? Quidquid venit in buccam, bonum an malum, id effutiunt. Interea acrius in dies meus cruciatur animus, et moeror meus despicatui habetur.

In moerore jaceo derelictus. Omnino nos infelices video. Innocens populus servituti addicitur. Undenam his malis nostris remedium afferri poterit? Corvum illum respicite, cujusnam est domus illa ubi sedem figit ille?

Nemus illud introspicite, non sunt ibi nisi ligna, non sunt ibi nisi herbae. Hodie populus in periculo ingenti versatur; coelum autem nihil attendere videtur. Omnia tamen potest in ordinem adducere; et nullus est, quem coelum non vincat, et cujus animum flectere non possit. Reverendus et tremendus supremus rerum dominus (Chang-ti) neminem odit, quis dicat illum odio habere quemquam?

Quis humilem et depressum dicat montem, cujus dorsum in altum surgit, et in cujus vertice campi sunt positi. Qui in vulgus sparguntur falsos rumores quomodo coercere non curant? Seniores accersuntur, necnon praefecti qui somniorum interpretandorum munus gerunt interrogantur; haec autem est omnium vox: ego, inquiunt omnes, ego sum sapientissimus; quis tamen corvos marem et foeminam discernere novit?

Quis neget excelsos esse coelos? Non debemus tamen nisi tremendo et incurvo corpore incedere. Quis neget terram esse solidam et firmitate sua consistentem? Non debemus tamen nisi tremendo, nisi parvo passu pedibus fere contiguis incedere. Haec sunt quae passim usurpantur verba rationi apprime consentanea,

quibus continetur praecipua virtutis doctrina. Verum, o tempora! o mores! qui fit ut aetatis hujus homines draconum st serpentium instar habeant.

Agros illos respicite tortuoso tramite, lapidibus impeditos, ibi tamen sunt divites campi, alta messe, et frugibus feraces. Coelum iras in me exercet, me excitat, me arguit; coelum diceres timere, ne vincere me non possit. Id agit ut me ad rectam vivendi normam reducat, et nisi me ipsi morigerum habeat, tunc me hostilem in modum accipit, et dire in me saevit; adhuc tamen conatum adhibere renuo.

Curae quibus crucior animum meum quasi constrictum tenent. Unde fit, ut imperii regimen jam sit usque adeo dirum? Cum jam vasto incendio conflagrent omnia, qua tandem aqua restingui poterit ignis ille? Clarissimum, fortissimum, imperium Tcheou nostrum Pao-see foemina extinguit.

Finem semper cogita. Coelum nubilum et pluvium prospice. Cum currum habeas onustum, nunquid ligna illa abjicies, quae currus tui rotis impellendis inserviunt? Cum currus tuus inclinatus fiet, nonne me rogabis ut tibi eam suppetias?

Nolito ligna illa abjicere, quibus curruum rotas in solo difficili impellunt. Haec ligna rotarum radiis usui erunt. Aurigam tuum usque respicito; ita quae curru tuo vehuntur non decident, periculum tandem securus evades.

Piscis qui est in piscina ibi tamen non vera gaudet gaudia; licet ima natando petat et latere conetur, hunc

tamen prodit limpida aqua. Curis variis conficitur animus, dum imperii hodierni durum regimen apud me cogito.

Optimum habent vinum, esculenta optima; ipsis cum vicinia bene convenit, et vicinos suos in partem vocant eorum, quae habent. Nuptias celebrant et matrimonia jungunt; ego vero solus dolore et moerore tabesco.

Filii illi terrae suas habent aedes, regiis beneficiis immeriti fruuntur. Populus autem miseram vitam vivit. Coelum iratum insolitis calamitatibus nos affligit. Divites in ejusmodi calamitatibus adhuc durare possunt. Sed qui sunt sine praesidio derelicti et egeni, eorum quis non lugeat sortem?

Ode 9. 216.

Decima lunatione, (solis et lunae) congressu, primae lunationis die, cycli die Sin-mao, quae tunc fuit solis eclipsis, vere est malo omini; deficit luna, deficit et sol, et plebis infimae sors vere deploranda.

Sol et luna malum portendunt, suasque non implent vices. Cujuslibet regni res male geritur. Ad regimen imperii non adhibent bonos. Quod luna eclipsim patiatur, res est usitata. Sed si sol eclipsim patiatur, in eo nihil omnino boni.

Tonitrua et fulgura fulgent; terrent animos, nec sinunt improbos quieto esse animo. Flumina, rivi omnes ripam superaverunt, et terras inundaverunt. Alti montes et rupes corruerunt. Montibus consita regio jam in vallem resedit, et vallis depressa in montem surgit. Heu! aetatis hujus homines, qui eo mores mutare adhuc renuunt!

Hoang-fou ille quidem Kin-chi praefecturam gerit, sex nempe curiis sive imperii supremis tribunalibus caput praeficitur. Fan homo ille See-tou dignitatem obtinet, doctrinam scilicet imperii curat. Kia-pe ille manus Tchong-tsai sustinet, et minister est imperii. Tchong-yun vero imperatoris victum et potum curat, quippe munus habet Chen-fou dictum. Tseou-tsee agit praefectum Nei-chi; nimirum jus dicit ille, et in praefectos animadvertendi, aut eos evehendi potestatem habet. Kouei autem equitatui praeficitur, quippe qui Tsee-ma dignitatem consecutus est, qui autem de Kiu nomine dicitur, ille est de titulo Chi-chi et Censor est imperii; regnat interea Pao-see venusta mulier.

Hoang-fou ille quidni temporum rationem ducit? Quid est, quod nunc temporis me huic operi incumbere cogit? Nec me prius consuluit, hoc fieri liceret, necne? In domum et hortos meos invasit; agri mei (quos arare non licuit) aquas habent, aut herbis silvestribus scatent. Ego, inquit, non te vexo; non tibi facio injuriam; jus ita postulat.

Hoang-fou sibi ipse sapientissimus et praestantissimus vir esse videtur. Urbem construxit imperii sedem in regione Hiang; tres praefectos sibi selegit eosque ditissimos adhibuit, nec suae nequitiae vim facit ullam, ut unum saltem seniorem (virum probum) relinquat, qui imperatori adsit a consiliis. Eos tantum deligit, qui curribus et equis affluant; hominesque ejusmodi in regionem Hiang eunt, ubi sedem figunt suam.

Summa diligentia curo negotia, neque ausim laborem nimium excusare, aut rem difficilem gerendam de-

trectare. Nullius criminis conscium omnes passim maledictis me lacessunt, et in odium vocant. Quae mala jam patitur populus, aliam quam a coelo originem ducunt. Remotis arbitris aguntur conventus, ibi quidquid venit in buccam deblaterantes, aliorum famam maledico dente carpunt; et homines arbitrio suo usque permittuntur.

Rem diligentius attendens pagi mei vicem doleo; res enim ibi sunt deterrimo statu et pejore quam alibi. Ego solus in laboribus et aerumnis versari me video. Nullus non beate vivit, ego solus quiescere non audeo. Jam coelum aequa lance nos minime tractat; ego vero quomodo ausim amici mei arbitrio et exemplo laetitiae me dedere?

O d e 10. 212.

Immensum et augustum coelum solitae benignitatis suae jam fit immemor; nobis famem et calamitatem infert; ubique homines internecione necat; coelum augustum jam plenum est irarum, terroremque spirat, non jam examinat, non jam attendit. Cum malos et nocentes arripiens ab iis poenas debitas repetat; bonos pariter et innocentes, alios ex aliis prosternit, et in easdem poenas communi casu detrudit.

Jam extinguitur familia regia Tcheou, quin restaurari et restitui possit. Imperii primarius administer jam aulam deserit, et labores nostros ignorat; tres imperii ministri jam renuunt a mane ad vesperam imperatori adesse. Imperii principes et reguli jam negant operam suam a mane ad vesperam praestare. Est cum (imperator) mores mutare velle videatur, sed frustra; ipsius mores eo pejores fiunt.

Qui fit ut augustum coelum, quas rite fundimus, jam non audiat preces? Interea suam, ut ita dicam, pergunt viam, nec sistere gradum noverunt. Quotquot estis in imperio sapientes, par est vos vestrimet diligentem curam habere. Quid est quod nihil vereamini? Quomodo coelum ipsum non veremini?

Nova in dies surgunt bella, necdum (imperator) ad se redire novit; fames crescit in dies, necdum (imperator bonos) sequi et audire novit. Qui imperatori adsumus aulici moerore conficimur, nostraque aegritudo in dies fit acrior. Inter imperii sapientes nullus est, qui (imperatorem) monere et hortari satagat. Ad factas quaestiones respondent, sed si verbis duris lacessas illos, ipsi abeunt (et aulam deserunt).

---

15 Eheu! non possunt in se suscipere, ut loquantur. Non tantum verbum ullum ore proferre timent, sed si proferrent, illis certe male esset. Qui loquuntur, verba bona et melliflua loquuntur, plenaque adulationis inani profluentia loquuntur. Id scilicet sibi habent propositum, ut propriis commodis serviant.

Dignitates imperii ambis? Sed magistratum agere res est plena timoris et periculi. Operam tuam imperio navare renuis? Tunc imperatoris animum offendis. Operam imperio dare, et rem gerere publicam non negas? Tunc amicorum tuorum animos exacerbas.

Vos monemus, ut in aulam demigretis, domus, inquitis, mihi deest (et sic migrare negatis). Nos autem dolore conficimur; et ea cogitando sanguinolentas lacrymas fundimus. Quidquid loquuntur dolorem affert et moerorem. Quando olim demigravistis, quis secutus est, et vobis domum construxit?

Caput 5.

O d e 1.

Augustum coelum inscrutabile, et menti nostrae nullatenus pervium. Coelum jam plenum est terroris et irarum quas in terram subjectam dissipat et diffundit. Jam (aulae) consilia prava sunt; jam nihil rectum meditantur. Quis tandem dies tantis, tantis malis finem faciet? Quae recta sunt, ea non sequuntur, immo quae improba, ea adhibent et exequuntur. Quibus consiliis res geruntur, ea intuitus dolore acerrimo conficior.

Aut inter se conspirant, aut inter se simultates gerunt, et mutuam perniciem moliuntur. Quidquid boni consulitur, id omne repudiant; quidquid autem mali, in id ambabus eunt. Quae mala intuitus apud me cogito, quis tandem dies his malis finem afferet.

Testudinem adhibemus ad auguria; hanc taedet 214
loqui, neque nobis mentem suam declarat. Multi con- 215
siliarii; sed quae proponuntur, ea omnia perfici non
possunt. Clamitant illi (consultando), et vocibus eo- 215
rum tribunalia personant, clamores palatium late com-
plent. Quis fateri audet se erravisse? sunt quemad- 215
modum homines, qui iter suum non pergnnt, sed tem-
pus loquendo male terunt. Ita quo intendunt pervenire
non possunt.

Proh dolor! in consiliis capiendis majorem nostrorum 215
viam et rationem non sequuntur. Magnam virtutis doctrinam, rectae rationis ratas leges negligunt; qui obvii sunt sermones, in iis audiendis toti sunt, de iis inter se decertant; similes hominis qui de domo construenda

cum viatoribus consilium iniret, neque opus suum absolvere potest.

---

216 Regnum caret consiliis; in regno tamen alii sapientia eminent, alii non. In populo minus numeroso licet, alii perspicaci sunt ingenio, alii prudentia praestant, alii cauti et seduli sunt, alii ordinis et regulae amantes. Debemusne, fontis instar aquas suas volventis, ad ima allabi, et ad communem perniciem omnes simul ruere?

Tigridem inermes apprehendere non audent, fluvio nulla rate se committere timent. Id unum sciunt nunc temporis homines, in caeteris omnibus omnino caecutiunt. Jam tempus est tremendi, jam sibi cavendi, jam pavendi tempus est. Quemadmodum trepidat ille qui juxta voraginem, aut qui super tenuem glaciem incedit.

Ode 2.

217 Parva turtur suas pandens alas in aëra fertur. Ego vero anxio animo moerore conficior. Majores nostros animo versans ad auroram usque somnum carpere non possum; et duos homines apud me cogito.

Sapiens, cum vino indulget, sibi temperare novit, et modestiae leges diligenter servat. Hanc bibendi legem nesciunt insani illi; hodie vino madent, magisque in dies vino et crapulae se dedunt. Unusquisque in se speciem et imaginem revereri deberet, et attendere. Favorem sive gratiam coeli semel amissam difficile rursus conciliari.

---

217 Rure sunt pisa quae populus colligit. Eruca Mingling dicta gignit parva insecta sive vermes, quos vespa Kouo-lo dicta abripiens secum defert. Tu natum tuum

doce, huic monstra virtutis viam, hanc sequetur, et quod bonum huic proposueris, illud imitabitur.

Avem Tsi-ling intuere; volat illa, cantat illa. Dies mei praetereunt, tui etiam labuntur menses. Mane surgito, noctem in somnum insumito, nolito parentibus tuis esse dedecori.

Avis Sang-hou in area frugibus plena circumcursando grana rostro petit et comedit. Heu nobis qui morbo afflictamur! heu viduis nostris! Nunc carceres, nunc supplicia in more posita sunt. Frumentum manu accipio, et ad auguria exeo exploraturus, quando salus nostra futura sit.

Vir probus, placidis moribus, qui de se demisse sentit, habet instar hominis, qui stat supra arborem, ita sibi timet, et periculum intuitus sollicite sibi cavet; similis homini, qui ad montis radices in loco lubrico incederet; ita timet, ita pavet, ita trepidat, quasi si super tenuem glaciem ambularet.

Ode 3.

Aves Yu sive corvi monticolae volando pennas suas pari conatu impellunt, volant et simul convenientes otiari videntur. Bene est aliis, sed ego curis premor; quid in coelum peccavi? Quid tandem in me est criminis? Qui fit ut animo usque eo crucier?

Via regia, lata et solo plano strata herbis silvestribus quae ibi creverunt tota scatet. Animus meus curis conficitur et veluti pungitur; vestibus diurnis indutus in lecto recumbo, alta suspiria ducens; et prae animi aegritudine ego maturius senesco; curis angitur animus, et laboro quasi si dolore capitis ingenti premerer.

In conspectu mororum et Tsee arborum (a parentibus meis consitarum) subito honoris et venerationis sensus meum incessunt animum. Parentem meum omnino suspicio; parenti meae omnino confido. Nonne mihi sunt cum parentibus meis communes capilli? Nonne parentes mei me in sinu suo arcte complexi sunt? Quid coelum vitam mihi indidit, et me his temporibus nasci voluit?

Salix illa quam amoena, luxuriat arbor, ibi cantat cicada. Aqua illa quam alta! junci illi quam densi et conferti! instar habeo cymbae, quae arbitrio aquae fluentis permittitur, et nescit ubi tandem sistet gradum. Curis premor, nec recumbere et quiescere vacat.

Currit cervus, ita tamen, ut a cervis gregalibus longius abire nolit. Mane cantat phasianus, et suam comparem inclamat. Similis ego sum cariosae arboris, quae ramis suis destituta est. Curas quibus premor, ignorant.

Lepus venatorem fugiens in nos incidat; est aliquando ut nos illius miseratio capiat, eumque abire sinamus. Si sit cadaver in via, est aliquando, ut viator illud mandet humo. Sed vir primarius quidam eo est animo, ut in ejusmodi rebus miseratione dignis nihil misericordia moveatur; ego vero prae animi aegritudine in lacrymas erumpo.

Vir primarius calumniam auribus haurit credulus, ut haurire solet pocula vini ab aliis ministrata. (Imperator Yeou-ouang). Vir primarius non ea benignitate utitur, ut rem maturius attendat. Qui ligna in arbore caedunt, explorant certe, ubi pedes in arbore tuto ponant; qui lignum secant, ejus certe lineamenta et venas secando sectantur; qui crimen habent, eos inultos abire sinit, et crimen in me refundit (vir primarius).

Alto monte alius est altior, profundo fonte alius est profundior. Sapiens non leviter loquitur; aures enim juxta muros cubiculi latent. Nolito ad pontem meum ire; retia mea pandere nolito. Quae sunt praesentis temporis, et a me pendent, ea cautus timeo; quae ad me in futurum spectant, et a me non pendent, quomodo praestare possim?

Ode 4. 222

Augustum coelum, cujus consilia menti nostrae vix sunt pervia, parens hominum diceris, siccine sinis hominem nullo peccato suo, nullo crimine suo in tanto discrimine, tantisque miseriis versari? Augustum coelum quam verendum, quam tremendum! Post diligens examen me nullius flagitii conscium reperio. Augustum coelum plenum minarum et terroris! Si rationem meam agendi disquiram, me a culpa omnino abesse intelligo.

Turbarum quibus conflictatur regnum fons et origo est, quod rex calumniantibus et improbis aditum ad se faciat. Si ejusmodi rerum malus status vires accipiat et corroboretur, ratio est, quod rex ejusmodi nefariis hominibus fidem adhibeat. Sin autem rex improbis illis succenseat, regni turbae fere sedantur, et si probos amet, regni turbae pariter cessant.

Rex frequenter votum vovet; regni tamen malus status vires novas accipit; scilicet rex male credit sicariis illis, et perditis hominibus; atque ita regni exitium dirum, dirumque magis. Sicariorum illorum verba sunt mellita, nec displicet, quae grassatur, pestis publica. Qui officii sui leges negligunt, accusandi quidem; sed regis socordia et imbecillitas eo magis accusanda.

---

222. **Splendidas et amplas aedes, majorum suorum memoriae sacra adyta rex construxit. Magnam, claram et subtilem virtutis doctrinam sapientes nostri nobis tradiderunt; quae alii meditantur et cogitant nos dijudicare novimus. Lepus quantumvis velox ad saliendum, quantaquanta sit illius agilitas, in canes tamen incidit, et capitur.**

Tenerae arbores a viro principe consitae sunt. Qui in vulgus sparguntur rumores, eorum certe judicium facere novi; quae ad pacem et veritatem faciunt verba, si ore proferantur, bene quidem; sed quae arte proferuntur fistulae sonos imitantia verba, qui haec loquuntur, ii frontem deposuerunt.

---

223 Homo quidam, cujus farinae sit nescio, in locis palustribus degit; ineptus est et imbellis; hic fuit pro scalis, quibus ad turbas hodiernas pervenimus. Tu miser ulceribus laboras, et pedum tumore, quaenam potest esse fortitudo tua? Quae consultavisti, perfecisti, et ad exitum perduxisti quidem, sed quot habes consiliorum tuorum socios?

O d e 5.

Quis tandem sit ille nescio, hoc autem scio, animum ejus esse teterrimum. Quid est, quod portam meam praeterit, nec domum meam ingreditur? Qui sunt in ejus comitatu, ab iis quaero, quis ille sit, qui respondent, eum de nomine Pao dici.

Ex duobus quorum unus alterum euntem sequitur, uter hujus calamitatis meae auctor est et dux? Quid meam portam praeterit, neque ingreditur, nec me convenit? Alius est ab illo qui erat, jam me negligit, nunquid ita est?

Hominem illum, ejusque agendi modum non ita capio; quomodo viam, quae ad meas aedes ducit, ingreditur ille, illius vocem audio, ipsum vero non video; hominum conspectum non timet, coelum ipsum non veretur.

Quis tandem ille est; similis est turbinis, et venti 225
vehementis; quare non a borea, quare non ab austro? quare portam meam praeterit, et animum meum perturbat ille?

Lento gressu incedis, nec tamen vacat sistere gradum, et si gradum properaveris, moras adhuc trahis, currus tui rotarum modium oleo inungens. Quidni venis? Siccine expectanti mihi spem fallis meque deludis?

Reversus ad me, et domum meam ingressus, tu certe animum meum gaudio afficies, reversus autem, nec tamen ad me ingressus, animum meum anxium facis, et quod de te culpaque tua feram judicium, non ita scio. Si semel ad me venias, curas meas tunc levabis.

Olim conjunctis animis unus et alter quasi fratres eramus, unus quasi natu major instrumento musico Kiun dicto canens, alter, quasi natu minor instrumento Tchi dicto canens. Inter nos bene conveniebat, et animorum nostrorum conjunctio imitabatur funem, qui per foramen commune transmissus varia inter se connectit; si me meumque erga te animum minus noveris, ecce tria depromo ad rei veritatem confirmandam, et juramento adstruendam.

Nunquid tu lemurum habes instar, aut aquatici animalis Yu dicti, quod oculis deprehendere non possunt? sed tu vultus habes, qui in hominum conspectu pro-

stant) In homine eminent vultus, micant oculi (qui sunt imago mentis). Si hominem hominisque vultus assidue consideremus, quomodo mentem illius non perspectam habebimus? Qui hoc laudabile carmen cecinit, id sibi habuit propositum ut hominem subdolum et versipellem pudore suffunderet.

Ode 6.

Qui me falso crimine accersivit, mihique perniciem intulit, similis est homini, qui concham coloribus aliquantum distinctam, pro pretioso serico variis coloribus et aureis filis distincto haberet; sic levia peccata mea mihi atroci crimini vertit inimicus meus; dirus ille quidem, et vere inhumanus.

Adversarius et hostis meus hiatum nonnihil patulum habet pro vanno australi constellatione Nan-ki dicta. Quis homini illi consilii adjutor fuit?

Haec et illa deblateras, haec et illa moliris. Hominem artificiosis modis in crimen vocare satagis? Quae dicis, attende; sin minus, fidem non facies.

Alia et alia tentando, artificiosis verbis, quae rem cito dirimere tibi videntur, alios crimine accersere conaris? Quid si tibi non credant? et carmen quo alios accersere vis, in te ipsum derivetur?

Superbus laetatur et miser curis suis angitur. Coelum caeruleum, caeruleum coelum *)! hominem superbum intuere et hominis miseri te misereat.

---

*) Quando coelum caeruleum ita inclamant illi poetice, aut per figuram apostrophen dictam, quemadmodum nos inclamant et compellant. Secus autem, quando coelum augustum inclamant; distinguunt enim Tsang-tien coeli caerulei et Hao-tien augustum coelum.

nuerunt et aluerunt me, et ipsi tot labores et morbos experti sunt.

Cum vacua fit parva lagena, hujus testam pudet. Homines miseri ab omnibus derelicti meliore essent conditione, si jam mortem oppetivissent. Jam nullo patre sic orbi facti jacent sine praesidio; foras exeunt et alta mente acerbum dolorem tegunt; intrant domum et ibi non habent locum refugii.

Pater me genuit, mater me peperit et aluit, me infantulum manibus dulciter attrectans diligenter nutrivit, mihi invigilans me crescere et viribus augeri curavit, tutela sua protexit, undequaque respiciens et praecavens, quae mihi nocere possent, me custodivit et defendit. Sive intus, sive foris, me complexa sinu suo fovebat. Jam vicem et gratiam tantis beneficiis rependere velim, sed coelum augustum nullis finibus continetur.

---

218. Nan-chan mons magnus et excelsus, ibique venti vehementiores perflant; bene est aliis; qui fit, ut ego unus miser fiam?

Nan-chan mons altus, magno ambitu circumclusus, ibi sunt frequentes venti; praeclare agitur cum aliis, quid ego solus sine fine maereo?

Ode 9. 229.

Conferti et bene cocti cibi ex lebete depromuntur ope cochlearis ex ligno Ziziphi arboris incurvo. Via regia cotem imitatur, recta est illa et sagittam emissam imitatur. Quod magnates hanc sequantur viam, id populus laetatus cernit. Sed quotiescumque deflecto oculos, ex oculis fluunt lacrymae.

Cujus consiliis et auxilio ea contra me molitus sit 224
homo ille, ego nescio. Qui me in crimen vocavit, apprehendatur ille, pardis et tigridibus tradatur; si pardi et tigrides eum vorare renuant, in regiones boreales amandetur; si regiones boreales eum recipere negabunt, altissimo permittatur et relinquatur (puniendus).

Juxta agros in solo praealto positos est via, in solo humili et depresso, salicibus et platanis consita. Qui haec scripsi carmina imperatori famulor in palatio Eunuchus de titulo See-gin de nomine Mong-tsee. Quisquis sapiens sibi debet attendere, et carmen meum diligenter audire.

Ode 7. 226.

Subsolanus, ventus placidus, pluviam secum advehit. Ego et tu in angustiis et laboribus versabamur, tum quidem nos ambo conjunctis animis. Sed tu postea pulcher et beatus factus es, jamque animum mutavisti et me deseruisti.

Subsolanus placidus ventus, est tamen cum in turbinem evadit vehementior factus. Cum in angustiis et laboribus versabaris, tunc me in sinu fovebas; jam beatus factus me dereliquisti, et apud te cecidi.

Subsolanus placidus ventus est, tamen cum montium cacumina flatu suo superet, non est planta, quae non marcescat, non est arbor, quae non arescat. Tu vero virtutes meas insignes oblivisceris et leves querelas meas commemoras.

Ode 8. 227.

Alte surgit planta Gouo dicta; at deest planta Gouo, est autem planta Hao dicta. Heu! heu parentibus meis! genuerunt et aluerunt me, quantos autem labores susceperunt illi?

Alte surgit planta Gouo; at non est planta Gouo, est autem planta Yu. Heu! heu parentibus meis; ge-

In orientalis plagae sive parvis sive magnis regionibus jam texendae telae radius vacuus est neque habet filum aut rectum aut transversum. Calceis ex mera tela Ko-pou dicta confectis super gelu et pruina gradiuntur. Imbelles viribus et tanto labore perferendo impares magnates magnam pergunt viam; ego autem sive eam sive redeam animo crucior.

Juxta algentis aquae fontem herbas metis; id certe caves, ne herbae quas messueris humidae putreant et absumantur. Prae animi aegritudine noctes insomnes ducimus, et suspiria trahimus, nostrorum miseram sortem et vicem dolentes. Quas messueris herbas recondis et asservas; miseri homines quorum sors deploranda, nonne et ipsi quiescere debent?

In parte orientali homines laboribus impositis funguntur nullo suo levamine; in parte autem occidentali homines in vestibus splendidis et divitibus incedunt, filii terrae remigando nati ursorum pelles induunt; infimae gentis filii amplissima imperii munera gerunt.

Homines illi non habent vinum pro ciborum condimento (sed vino immodice utuntur). Longos et magnos uniones et lapillos ad latus appensos gerunt, neque hunc esse luxuriosum cultum existimant. Sed in coelo est Tien-han fluvius (via lactea) qui nos lumine suo collustrat; est Tchi-niu puella texens triangulare sidus (lucidae lyrae), haec intra unum diem septem Siang (percurrit).

Ipsa licet septem Siang (percurrat), non tamen potest mihi texere vario colore ornatus, quibus aliorum beneficia rependam; sidus luminosum Kien-niou, bos

Magni fluvii Kiang et Han in parte australi imperii suas in varios sinus agunt aquas. Munera imperii exercens non peperci labori, et in morbum incidi; mei tamen nulla ratio habetur.

Non sum aquila, non sum accipiter Yen dictus, qui 233
suas pandens alas ad coelum usque fertur. Non sum acipenser, non sum piscis Yeou, qui ad imas se proripit aquas, ubi lateat.

In montibus crescunt plantae Kue et Ouei dictae. In vallibus autem crescit berberis, (sive oxia cantha sinica) nec non arbor Y dicta. Sapiens quidam haec cecinit carmina, ut dolorem suum palam faceret.

Caput 6.

Ode 1.

Montem borealem conscendo, ubi decerpo plantam Ki sive berberim. Fortes et strenui viri a mane usque ad vesperam rebus imperii dant operam. Quando res imperatoris agitur, nullus est socordiae locus; sed parentes mei in laboribus versantur.

Quae *) regio in orbe terrarum imperatoris non paret imperio? Quis et cujus regionis incola non est imperatoris subditus imperio? Praefectus imperii de titulo Tai-fou aequitatis est immemor; ego enim solus rerum prudentia praeditus rem imperii gero.

Quadrigae meae equis non datur quiescere; impera- 232
toris negotia me usque urgent. Imperatorem juvat quod

---

*) Hic locus apud Mencium qui haec ad imperatorem Chun refert.

nondum senuerim, quod adhuc robustus, firmis humeris et plenus virium sic possim imperium percurrere, et ubique imperio diligentem operam navare.

Alii domi otiantur et genio indulgent, alii imperio sedulam dantes operam in morbum inciderunt, alii in lecto jacent, aliis nullus est itinerum finis.

Alii in domi penetralia sese recondunt ab hominum strepitu remoti; alii laboribus et curis confecti tabescunt; alii otiosi et inertes supino corpore aut in faciem cubant; aliis, cum imperatoris negotia urgeant, faciem lavare non vacat.

Alii voluptati et vino se dedunt; alii curis conficiuntur et tabescunt, timentes ne crimine apud Regem arcessantur; alii imperatoris gratia nixi, sui compotes libere eunt exeuntque, et quidquid in buccam venerit deblaterant; alii quaecumque imperii negotia tractant et perficere conantur.

Ode 2.

234 Plaustrum ne adjuves eundo, sin minus, pulvere conspersus fies; curas et aerumnas, quotquot sint, ne recolas memoria, sin minus, in morbum incides.

Plaustrum ne adjuves eundo, sin minus, corpus tuum pulvere quasi caligine obscurabitur; noli esse in aerumnarum cogitatione defixus, ne animi impos fias, ita ut minimum rationis lumen emicare non possit.

Plaustrum ne adjuves eundo, sin minus, pulvere quasi caligine offunderis; in aerumnas tuas noli animum reflectere tuum, ne curae animi acriores fiant, et mordaciores.

Ode 3.

Perspicacissimum, augustum et excelsum coelum, terram infimam sapientia tua protegis et nobis praesens ades. Ego ad plagas occidentales veni, et ad regionem Kiou-ye perveni, jam attigimus diem primam secundae anni lunationis, et hiemem aestatemque unam transegi (in his terris), itaque animus meus curis uritur, venenum diceres acerbum viscera mea consumere; collegas meos memini, et ex oculis quasi imber fluunt lacrymae. Quomodo ad meos reditum non cogitarem? Sed timeo ne (redeundo) crimen in me suscipiam, et in laqueos incidam.

Cum pridem huc veni, jam in sole et luna facta erat mutatio. Quandonam ad meos tandem reverti licebit? Jam annus fere elapsus est. Me solum et derelictum in miseriis jacere video. Multis negotiis distineor. Animo crucior. In laboribus quibus premor cessare non vacat. Aequales meos cogito, et animo saepius revolvo. Quomodo non esset in votis ad meos redire? Sed hominum vituperia et iras reformido.

Cum pridem huc veni, jam sol et luna de frigoris acerbitate remiserant; quandonam redire possim? Sed imperii negotia in dies magis urgent. Adventat finis anni: jam messuerunt plantam Siao et pisorum messem in horrea detulerunt. Curis meus premitur animus. Ipse ego hos labores mihimet accersivi. Aequales meos desidero, quorum desiderio affectus domo exeo, et curis meis aliquod levamen afferre conor. Nunquid aliter possum, quin meorum revisendorum desiderio tenear? Sed timeo, ne ad hunc meum reditum haec et illa loquantur.

O vos, qui populorum regimini praepositi estis magnates, suspirans dico, voluptati fruendae aliquem modum et finem statuite. Dignitatem vestram tueri satagite; probos viros et animi rectos ad munera imperii adhibete; benevolentia complectamini; sic spiritus cum id audiverit, vos bonis cumulabit.

O vos magnates imperii, suspirans dico, nolite voluptati sine fine vos dedere. Dignitatem vestram tueri studete; probos et rectos viros fovete et amplectamini. Cum spiritus istum vestrum agendi modum resciverit, nova et magna vobis ab illo felicitas accedet.

O d e 4.

Pulsata campana suum Tsiang-tsiang ingeminat. Hoai *) fluvius terras aquis late inundat. Curis anxius animo crucior. Bonos et sapientes nostros ego certe nunquam non meminero.

Pulsata resonat campana et fluvius Hoai suas attollit undas; curis meus consumitur animus; boni et sapientes nostri ea erant virtute, quae nihil nisi recti patiebatur.

Pulsatur campana, pulsatur tympanum. Fluvius Hoai tres habet insulas. Animi curae non me sinunt esse tranquillum. Qui fuerunt boni et sapientes nostri jam suae virtutis imitatores non habent.

Pulsata resonat campana. Canitur fidibus Kin et Che dictis. Instrumentum Cheng cum instrumento King concordat, fit concentus; et musica carmina quae

---

*) Suum usque adhuc nomen retinuit.

canuntur sunt Ya, sunt Nan carmina; fiunt saltationes Yo dictae; resque ex ordine peragitur.

O d e 5. 235.

Spinis et vepribus scatent agri, et agros spinis purgare laborant. A primis temporibus eo laboris addicti sumus, quid ita? Milium Chou, milium Tsi dictum colimus; et milii Tsi segetes feraces; milii Chou laetae segetes. Horrea nostra implentur, acervus frumenti ingens et suppetunt. Frugum mensurae centies mille; inde vinum et escas paramus ad oblationes et ritus peragendos, ad nobis concilianda prospera, ad nobis ingentem felicitatem comparandam.

Pingues tauri et boves magno apparatu deducuntur sive hiemali tempore et ille ritus Tching dicitur, sive autumnali et ille ritus dicitur Tchang; alii pellem pecudibus detrahunt; alii carnes incoquunt; alii ex ordine apponunt; alii prae manibus accipiunt; ritus oblationum et precationum ad valvas atrii peraguntur; in illis oblationibus omnia splendide fiunt. Ex quo originem trahimus priscus avus noster vere magnus et augustus. Patronus noster spiritus oblationes et ritus nostros probat. Erga parentes suos pii nepotes prospera consequuntur. Magna felicitas et beata immortalitas est eorum, in parentes pietatis praemium et merces.

Lebetis curam suscipiunt diligentes et attenti; oblationum vasa Tsou dicta, magna illa quidem; carnes alii torrent, alii frigunt. Matrona domi domina munda, magna est ejus modestia et gravitas. Vasa Teou dicta plurima; qui rem rituum adjuvant (hospites) alii aliis vina fundunt, ita ut cui vina funduntur, ipse alteri vina fundat; ritus omnes et caerimoniae de more et secundum statutas leges. Sive rideant, sive loquantur

omnia decenter; inde spiritus defensor adest dexter, magnis bonis eos remuneratur, immortalitate scilicet ipsos donat.

Pro viribus et facultate nostra hoc officio defuncti sumus, nihilque in ritibus peragendis peccavimus. Qui precationum curam gerit nos admonet, multa futura esse bona iis, qui pii sunt erga parentes, et magnam felicitatem ad ipsorum nepotes deventuram; dapes quae pie in avorum memoriam celebrandam oblatae fuerunt, suaviter redolentes, has oblationes spiritum acceptas habuisse, has escas, hoc vinum probavisse, omnia prospera pro votis nostris nobis eventura in testimonium (pietatis erga parentes nostrae); et quia his caerimoniis diligentissime perfuncti sumus, tibi (o paterfamiliâs) promittitur, quid summum, quid aeternum; tuaque in dies, in mille et millia crescet felicitas.

Finitis caerimoniis pulsare campanam, pulsare tympanum abstinent. Pii nepotes quisque sedem suam repetit. Qui precationibus praeest, sic loquitur: spiritus oblationes vestras acceptas habet, in iisque acquiescit. Qui mortuorum personam gerit reverendus Chì dictus tum surgit, eumque campanae et tympana sonis musicis excipiunt, et abeuntem comitantur. Spiritus patronus (ad sedes superas) remeat; nec mora, qui adfuerunt viri primarii, nec non matrona domi domina recedit. Pater autem familiâs cum suis fratribus privatim convivatur.

Instrumenta musica in cubicula interiora (aedium parentalium) asportantur, fit concentus musicus et in futurae felicitatis spe conquiescunt illi. Fercula tua apponuntur, magna animorum concordia magnoque

gaudio inter se convivantur; bene poti, bene pasti quisque sive parvus sive magnus, gratias agunt. Spiritus dapes et vinum probavit, et accepta habuit, et multos vitae annos patri familiâs concedit. Omnia ex ordine, pro tempore fuerunt; in his enim par est omnem diligentiam adhibere. Vos omnes quotquot nascimini filii et nepotes hoc sequamini exemplum, et cavetenne haec erga majores vestros officia deseratis.

Ode 6.

Vere mons Nan-chan ille est quem Yu excoluit; 231
ibi videre est agros terra inversa et sulcata in plano sitos necnon in declivi positos, hi sunt nepotum labores. Agros illos terminis suis et limitibus definio, juxta quos aquam per canales duco et terrae aggerem utrimque declivem ad austrum et ad ortum circumduco.

Altum coelum placidas nubes advehit, nix vento circumacta cadit et pluviam tenuem subsequitur; quae cum abunde nec parce cadat, agros nostros bene et accommode irriget, arva opima et fertilia fiunt.

Agro cuique sui sunt limites recte definiti; luxuriant segetes et frugum Chou et Tsi dîctarum messes opimae; sunt illae nepotum laboribus quaesitae opes; his utuntur in vinum et dapes, quas ego puero Chi in parentalibus caerimoniis offero, necnon claris hospitibus; sic ad multos annos producitur vita, et vita longa vivitur.

In agro medio domus est posita, et in agri finibus seruntur cucurbitae et pepones. Cucurbitae detracta cute macerantur et stirpis generisque primo auctori augusto illi quidem offeruntur. Sic nepotes in multos annos vitam protrahunt et a coelo prospera accipiunt.

Sincerum vinum in oblationes adhibetur. Rubente colore pecudes adducuntur, quae majoribus nostris offerantur; prae manibus accipitur culter tintinnabulis instructus, quo pecudis pili explorantur et aperiuntur, deinde sanguis pecudis et adeps depromitur.

Quae oblata suavem spirant odorem, et in ejusmodi oblationum ritibus nihil incuriose, omnia splendide et cum apparatu. Ex quo enim nostram primam duximus originem, ille est reverendus et augustus, cui debitum honorem exhibentes magna mercede magnaque felicitate donamur, immortalitate scilicet.

Ode 7.

Ager ille quam nitet! quam longe lateque patet; singulis annis inde colliguntur decies mille (Mou sive jugerum fruges). Quae ex annis praeteritis supersunt fruges, eas depromo quibus agricolas nostros alam. Superioribus annis annonae fuit copia; nunc ad agros australes pergo, et ibi agricolas video vel farrientes, vel humum aggerentes. Sata, Chou et Tsi scilicet quam belle creverunt. Ampla seges erit, in hujus spe conquiesco, et agricolarum incumbit levare labores.

Laetae sunt segetes nostrae; oves nostrae integrae sunt colore, et sine macula quibus utar in sacrificio Che dicto et in caerimonia Fang dicta. Agri nostri bono sunt statu, quod agricolis feliciter contigit. Fidibus Kin et Che dictis canimus, tympanum pulsamus, ut frugum et agriculturae auctori et primo conditori gratum animum significemus, et salubrem pluviam precemur, ut segetes crescant nostrae, quibus homines nostri viri et foeminae alantur.

Qui caerimoniis et oblationibus praeficitur de titulo Tseng-sun postquam pervenit, uxores et filii cibos deferunt in australes agros. Qui agriculturae praefici-

tur venit et laetatur; ad dextram et sinistram varia ex dapibus paratis degustant explorantes ciborum saporem bonum an malum. Camporum sata ubique optimo esse statu gaudent, sub spem amplae messis. Praefecto Tseng-sun nullus irascendi relinquitur locus, et agricolae eo diligentius operi incumbunt.

Praefecti Tseng-sun segetes sunt similes palearum; quae sunt pro domorum tectis, similes ligni incurvi Leang dicti post currum positi; praefecti Tseng-sun horrea similia insulae aut collis; sic alia quaeruntur horrea numero mille, necnon plaustra decies mille. Vis tanta frugum Chou, Tsi, Tao, Leang milii scilicet et orizae agricolarum beneficio et labore parta est; et ipsorum merces erit beata immortalitas.

Ode 8.

Magnus ager multam culturam requirit, sic paro se- 242
mentem, sic ad rus colendum instrumenta adorno; quibus paratis opus aggredior et semina in terram mittendi causa terram aro in australibus agris, vomeremque et occam acutam adhibeo; quarumlibet frugum sementem facio; cumque germina recta propagine surgant, nec gracilia imo firma crescant, laetatur praefectus Tseng-sun.

Jam frumenta spicari incipiunt, jam in grana se induunt, jam crevere, jam maturuere. Segetes non habent herbas sibi noxias, neque aram sibi admistam. Ex agris exterminate insectum Ming dictum (quod germen interius corrodit), Te insectum (quod tenera folia absumit), Mao insectum, quod radices rodit, necnon Tse insectum (quod germinum propagines exedit); nihil sit, quod noceat satis pullulantibus. Spiritus qui agris colendis praeest, si quis sit, agrorum nociva omnia igne absumat.

Addensantur nubes et lenis cadit imber, publicum et vectigali pendendo addictum agrum meum aquis irrigat; deinde ad meos privatos agros pervenit pluvia. Ibi tempore messis sunt spicae recentes quae non metuntur, hic pariter sunt manipuli qui relinquuntur; ibi sunt fasciculi residui, hic etiam sunt spicae quae negliguntur; idque fit in viduarum commodum et utilitatem.

Qui oblationibus praefectus est de titulo Tseng-sun advenit, et mulieres cum liberis prandium afferunt in agrum australem. Ruris culturae praefectus advenit et laetatur. Mundi plagam versus, oblationum ritibus rite defunguntur, rubrasque et nigras dapes, necnon fruges Chou et Tsi dictas in oblationes adhibent: ejusmodi oblationibus nova et major comparatur felicitas.

Ode 9.

Hunc cerne fluvium Lo quam latus est, quam profundus! Vir sapiens pervenit, cujus prospera quasi in acervum cumulantur. Vestem militarem induit rubro intinctam, et sex legiones militum ad bellum mittit.

Hunc cerne fluvium Lo quam latus, quam altus est! Vir sapiens pervenit, cujus vagina ensis variis ornamentis supra et infra tegitur. Vivat in aeternum, vivat vir sapiens, suamque in mille annos familiam incolumem servet!

Hunc cerne fluvium Lo, o quam abundat aquis! Vir sapiens pervenit; quot quantaque bona in illo uno congesta sunt! Vivat in aeternum, vivat vir sapiens, et in mille mille annos imperium incolume servet!

Ode 10.

Tchang pirus arbor suos habet flores foliaque luxuriantia. Ad vestrum conspectum animus meus (prae

gaudio) quasi foras erumpit, animus meus foras exilit: ita sunt laudes egregiae (quibus praeditos vos video).

Illa pirus arbor suos habet flores flavo colore quam nitentes. Vos cerno tanto splendore, tanto apparatu instructos, qui certe splendor felicitatis vestrae sunt insignia.

Tchang piri arboris flores alii flavo colore, albo alii micant. Vos cerno quadrigis vectos equis albis, quadrigis vectos equis albis, sex lora prae manibus quam bene componuntur!

Sive ad sinistram vestram respexero, omnia sapientem virum sapiunt, sive ad dexteram, adsunt omnia quae sapientem decet habere: scilicet quae apparent, ea sunt signum animi vestri recte compositi et virtutibus ornati.

Caput 7.

Ode 1.

Avis Sang-hou dicta huc illuc volitat, cujus alae 247
vario colore mirum in modum micant. Sapiens (i. e. Imperator) laetatur, suamque a coelo accipit felicitatem.

Avis Sang-hou huc illuc volitat; albo collo illa est; sapiens laetatur, et quaelibet regna protegit et defendit.

Quaelibet regna protegit, estque eorum columen; omnibus regibus est exemplo; nonne attentus est sibi suique animi motibus? nonne sibi usque invigilat? nonne innumera sic percipit bona?

Quod adhibetur poculum, sit illud Si dictum, quod in spiras desinit, quod bibitur dulce vinum sit illud optimum. In convictu nihil sit, quod superbiam redoleat; sic omnia bona sperandi locus dabitur.

rus lora sex numero in manibus meis rite composita fidium Kin concentum imitantur; in his novis nuptiis meus conquiescit animus.

Ode 5.

252. Virides muscae susurrum huc illuc volando cient, et agrorum sepibus insidunt. Optime princeps, ne facile credas obtrectatoribus.

Virides muscae susurrant volando et agrorum dumetis insidunt obtrectatores. Nesciunt modum; et in regnis omnibus omnia miscent.

Virides muscae strepunt volando et corylis insidunt; obtrectatores modum nesciunt; inter nos ambos odia concitant mutua, et unius ab altero abalienant animum.

Ode 6.

253. Considere incipiunt convivae ad dextram et sinistram quisque ex ordine. Vasa Pien et Teou loco parato collocantur et disponuntur; dapes et poma apponuntur. Quae vina ministrantur illa sunt dulcia et optima; cum bibunt, omnes aequaliter bibunt. Campana et tympanum loco suo posita sunt. Pocula attolluntur, vina funduntur; ex ordine proceditur; postquam erectus est magnus jaculandi scopus, tunc arcus et sagittae depromuntur, ordinantur sagittarii, et quisque dat specimen suae sagittandi scientiae. Qui scopum attingunt, quisque poculum vini dat illi (qui a scopo aberravit).

Togae sive pacis instituitur saltatio; fit concentus musicus tympani et fistulae Cheng dictae, multis compactae cicutis. Avo suo dignissimo gaudium significant suum; omnibus ritibus rite defunguntur. Quandoquidem nulla negligitur caerimonia, fit apparatus dignus quidem visu et spectatu gravis; sic integra et sincera felicitas te manet, et ista tua laetitia ad filios et nepo-

tes tuos etiam pertinebit. Inter illa gaudia quisque exerit animum; convivae poculum accipiunt, et vina fundere incipiunt; convivae hospites, quibus alii vina superfundunt. Laetitiae poculum hauriens tu stato tempore caerimonias perage.

Convivae sedere incipiunt magna urbanitate, comitate sua et sese mutuo honore invicem prosequentes; cum vino nondum madeant temulenti urbanitatis leges omnino servant, sed temulenti facti tunc modestiae et urbanitatis obliti modum retinere nesciunt, sedem et locum mutant, saltando huc illuc concursant. Nondum vino madentes sibi attendunt, et decentiae curam habent; ebrii autem toto corporis habitu insulsi et agrestes fiunt; ebrietas scilicet nullam legem, regulam nullam novit.

Convivae ebrii inconditos clamores stultum in modum tollunt. Vasa mea Pien, Teou evertunt, ridicule saltant, et labant pedes saltantium; temulenti nempe insaniam suam non noverunt; pileus eorum inversus, capiti leviter adhaerens, jamjam casurus videtur; huc illuc inclinato corpore, cum prae ebrietate vix stare in pedes possint, insani saltant; vino madidi alii abeunt, quibus caeteri prospera omnia precantur; alii remanent et virtutis leges infringunt. Qui vino indulgent, optime quidem, sed modestiae omnino meminisse debent.

Cum fiunt compotationes alii temulenti fiunt, secus alii. In conviviis instituitur inspector, vel qui eum adjuvet alter convivii praefectus. Vino madet ille turpiterque agit; qui siccus est, hunc ejus, qui vinolentus factus est, vehementer pudet. Quomodo erit qui convivas moneat, ut sibi temperent, ne verba mala loquantur, ne insulsa effutiant; qui autem vinolentus

voces ejusmodi protulerit, hic agno cornibus adhuc exermi plectendus? Tu cum tria tantum vini pocula siccaveris, prae nimio vino desipis, quid si plura biberis?

O d e 7.

255 Degunt pisces inter herbas aquatiles, ibi caput eorum magnum fit. Degit Rex in regione Hao dicta, ibi bibere amat.

Degunt pisces inter herbas aquatiles, ibi cauda fiunt longa. Degit Rex in regione Hao, ibi se bibendo oblectat.

Degunt pisces inter herbas aquatiles, ibi latent inter juncos. Degit in regione Hao, ibi in aedibus suis tranquillos agit dies.

O d e 8.

Fabas colligunt, fabas colligunt in canistris arundineis sive quadratis, sive rotundis. Sapientes viri obsequium suum mihi testificaturi venerunt: quam tandem mercedem vobis tribuam? Nullo licet alio vos praemio donatos velim, satis erunt currus quibus vos dono, aureis ornamentis decori et equi jugales, quos vobis largior. Quod tandem erit munus vestrum? Scilicet nigrae vestes draconis in se recurvo corpore insignitae, aliaque insignia Pou dicta.

Scaturit fons, et aquarum vim ingentem emittit; ibi herbam Kin decerpere juvat. Cum sapientes viri obsequium suum testificaturi veniant, vexilla eorum aspicere juvat. Aggregata vexilla et signa huc illuc moventur; agitata tintinnabula et constrepentia suum Houei-houei ingeminant. Quadrigas trahunt tractorii et adjutorii equi; quae omnia virorum sapientium adventum significant.

Genua genualibus rubris induuntur et crura vittis circumligantur. Illorum adventus ipsorum diligentiam arguit; sic a coeli filio (imperatore) laudantur; carissimos sapientes viros coeli filius imperator benigne accipit, et carissimi sapientes viri bonis augentur.

Arboris Tso rami quam frondosi! Sapientes amantissimi sunt imperii columen. Amantissimi sapientes bonorum omnium in partem venient. In comitatu vestro viros habetis regni ministros rerum prudentes, qui vos huc secuti sunt.

Populea cymba in aquis fluctuat rudentibus religata. Sapientes amantissimos coeli filius imperator cognoscit. Amantissimi sapientes majora majoraque sortientur bona. Ipsorum huc adventus laetitiam cumulat.

Ode 9.

Concinnatur arcus, qui variis ex cornu ornamentis decoratur, quem cum tetenderis, si nervum e manu elabi sinas, tunc retroagitur, et arcus dorso fit inverso. Cum fratres, cum affines sitis, nolite inter vos disjungi. 756.

Cum te removeas (a consanguineorum tuorum consortio) populus eodem modo se geret; exemplum tuum aliis erit pro documento quod sequantur.

Fratres hi concordes magno animo, magna animi sinceritate et animorum concordia agunt; fratres autem discordes sunt sibi mutuo exitio.

Populus nequam, et discordiam fovens pro angulo et parva agri parte rixatur. Qui de obtinenda dignitate contendit alteri cedere negat, cumque eo devenit, ut sibi ipse perniciem attulerit, tunc demum a contentione cessat.

---

255. Gravis annis equus equuleum agit nec futurum prospicit, comedit et esca gravatus est; bibit et plus nimio bibere appetit.

Nihil opus est simiam docere arbores conscendendi modum, quasi si lutulentae viae lutum adderetur. Si primates rectam ineant vivendi rationem, hanc viam certe sequentur infimae conditionis homines.

---

258 Nix multa quae cecidit solis radiis in aquam resolvitur. Si ejusmodi homines a te non amandaveris, eo magis cornua tollent superbientes.

Nix multa quae cecidit solaribus radiis solvitur et fit aqua fluens. Sunt similes barbarorum Man dictorum, barbarorum Mao; sic dolore conficior.

Ode 10.

258. Salices multum frondosae sunt, quomodo umbram earum captare adhuc non cogitant? Supremus rerum dominus quam verendus! Noli, inquit, proprius accedere, pacis et tranquillitatis meae curam habeto; sed me postea in summas angustias adductum video.

Salix opaca arbor, quomodo sub umbra ejus quiescere adhuc minus cogitant? Supremus rerum Dominus quam tremendus! Noli, inquit, perniciem tibi inferre, pacis et tranquillitatis meae curam habeto; sed me postea angustiis urgeri video.

Est ut avis altum affectans volando ad coelum usque pertingat. Homini ejusmodi, qui eo est animo, quomodo poterit fieri satis? Ego vero quietus esse quomodo possim? O me miserum! Frustra laboro et aerumnis premor.

Caput 8.

Ode 1.

Urbis regiae magnates ex herba Taï contextum pileum (aestivum) et ex nigrâ (tela hibernum) pileum gerebant. Virorum primariorum mulieres capillis quam concinnis erant! hoc jam non video meusque animus gaudii sit expers. 259.

Urbis regiae magnates inaures gerebant lapillos pretiosos. Virorum primariorum uxores aut de nomine In, aut de nomine Ki dicebantur; cum haec cernere jam mihi non liceat, animum meum incessit maestitia.

Urbis regiae magnates Zonae suae extrema pendentia habebant. Virorum primariorum conjuges recurvos juxta tempora capillos, quemadmodum scorpionis cauda in se recurva est, gerebant. Haec jam aspicere non datur, sic simul cum aliis discessum cogito.

Non quod zonae suae extrema pendere de industria sinerent, sed ipsorum zona longior erat. Non eo quod temporibus haec capillorum ornamenta consulto adhiberent, sed capilli natura nullaque arte ita in cincinnos assurgebant. Quae cum non videam, quomodo ista non suspicerem?

Ode 2.

Ad vesperam usque herbam Lou decerpo, neque inde potui decerpere quantum in utraque vola junctis manibus potest contineri. Sparsis sum capillis et inconcinnis, satis est si post reditum eos abluero. 260.

Ad vesperam usque indigo indicum colligo, neque ex eo colligere potui quantum in vestis anterioris panno

Addensantur nubes et lenis cadit imber, publicum et vectigali pendendo addictum agrum meum aquis irrigat, deinde ad meos privatos agros pervenit pluvia. Ibi tempore messis sunt spicae recentes quae non metuntur, hic pariter sunt manipuli qui relinquuntur; ibi sunt fasciculi residui, hic etiam sunt spicae quae negliguntur; idque fit in viduarum commodum et utilitatem.

Qui oblationibus praefectus est de titulo Tseng-sun advenit, et mulieres cum liberis prandium afferunt in agrum australem. Ruris culturae praefectus advenit et laetatur. Mundi plagam versus, oblationum ritibus rite defunguntur, rubrasque et nigras dapes, necnon fruges Chou et Tsi dictas in oblationes adhibent: ejusmodi oblationibus nova et major comparatur felicitas.

Ode 9.

Hunc cerne fluvium Lo quam latus est, quam profundus! Vir sapiens pervenit, cujus prospera quasi in acervum cumulantur. Vestem militarem induit rubro intinctam, et sex legiones militum ad bellum mittit.

Hunc cerne fluvium Lo quam latus, quam altus est! Vir sapiens pervenit, cujus vagina ensis variis ornamentis supra et infra tegitur. Vivat in aeternum, vivat vir sapiens, suamque in mille annos familiam incolumem servet!

Hunc cerne fluvium Lo, o quam abundat aquis! Vir sapiens pervenit; quot quantaque bona in illo uno congesta sunt! Vivat in aeternum, vivat vir sapiens, et in mille mille annos imperium incolume servet!

Ode 10.

Tchang pirus arbor suos habet flores foliaque luxuriantia. Ad vestrum conspectum animus meus (prae

gaudio) quasi foras erumpit, animus meus foras exilit: ita sunt laudes egregiae (quibus praeditos vos video).

Illa pirus arbor suos habet flores flavo colore quam nitentes. Vos cerno tanto splendore, tanto apparatu instructos, qui certe splendor felicitatis vestrae sunt insignia.

Tchang piri arboris flores alii flavo colore, albo alii micant. Vos cerno quadrigis vectos equis albis, quadrigis vectos equis albis, sex lora prae manibus quam bene componuntur!

Sive ad sinistram vestram respexero, omnia sapientem virum sapiunt, sive ad dexteram, adsunt omnia quae sapientem decet habere: scilicet quae apparent, ea sunt signum animi vestri recte compositi et virtutibus ornati.

Caput 7.

Ode 1.

Avis Sang-hou dicta huc illuc volitat, cujus alae 247
vario colore mirum in modum micant. Sapiens (i. e. Imperator) laetatur, suamque a coelo accipit felicitatem.

Avis Sang-hou huc illuc volitat; albo collo illa est; sapiens laetatur, et quaelibet regna protegit et defendit.

Quaelibet regna protegit, estque eorum columen; omnibus regibus est exemplo; nonne attentus est sibi suique animi motibus? nonne sibi usque invigilat? nonne innumera sic percipit bona?

Quod adhibetur poculum, sit illud Si dictum, quod in spiras desinit, quod bibitur dulce vinum sit illud optimum. In convictu nihil sit, quod superbiam redoleat; sic omnia bona sperandi locus dabitur.

Ode 2.

Aves Yuen-yâng (anatum species) iter volando arripiunt, et in retia incidunt; vivat vir sapiens, et in aeternum vivat, cui ex votis omnia prospera succedant.

Aves Yuen-yang in saxis quae aquarum cursui opponuntur degentes sinistram alam colligunt. Vivat vir sapiens in aeternum, vivat cui debetur usque duratura felicitas.

Equus sessilis in equili abunde pastus pinguescit. Vivat vir sapiens, in aeternum vivat, et beatam vitam vivat!

In equili equus sessilis ita pascitur, ut pinguefiat. Vivat vir sapiens, in aeternum vivat, felices et tranquillos vitae suae transigat dies!

Ode 3.

Quid tibi cum isto pileo Pien dicto? Vinum tuum est optimum, dapes tuae optimae. Non alii adesse videntur, non alii sunt quam fratres. Planta Niao dicta cum planta Niu-lo pino et cupresso arboribus circumvolvitur. Cum sapientis viri conspectu nondum fruerer, aliis ex aliis curis meus conficiebatur animus, sed ad illius conspectum animus meus gaudio exultat.

Pileum Pien in capite geris, quid ita? Vinum tuum optimum, lauta fercula. Non alii adesse videntur, fratres sunt qui huc venere; planta Niao et planta Niu-lo pino circumserpit. Viri sapientis conspectu privatus in maerore jacebam, in maerore jacebam; sed viri sapientis conspectu fruens tristitiam omnem ex animo pello.

Pileum Pien quisque in capite gerit. Vinum optimum, dapes multas in convivium paravisti. Non alii esse videntur, quam fratres et consobrini et alii consanguinei (qui hic adsunt convivae); nivis instar, quae cadit et quae initio constringitur. Dies quaelibet potest esse mortis et interitus dies. Non diu licebit mutuo conspectu frui. Genio igitur indulgeamus, et hanc diem compotando insumamus; sed ea sint gaudia, quae sapientem decent.

Ode 4.

Rotarum modiolum axe suo instrui curo; (sic parato curru) venustae puellae eo obviam. Non fame laboro, non siti premor, sed eam convenire cupiens virtutis ejus desiderio teneor. Absint licet optimi amici, epulemur tamen, et genio indulgeamus. 250

Sylva illa in plano solo posita quam densa est! Non aliae aves quam phasiani ibi sidunt. Nobilis haec puella jam aetate adulta est, cujus virtutis documenta vehementer expeto, et inter convivandum ipsam praeconiis extollo. Amo te neque ullum amanti paries fastidium.

Vinum non ita optimum, bibamus tamen; dapes non ita lautas, comedamus tamen; parvum convivium celebremus oportet. Virtus mea cum tua licet conferri minime possit, aliquid tamen canamus et saltemus. 251

Alto et praerupto vertice montem conscendo, ubi dura ligna caedo, dura ligna caedo, et frondosae sunt arbores; ubi conspectu tuo fruitus sum, animus meus gaudio summo affectus est.

Ad montem arduum attollo oculos, magnamque pergo viam; curro autem quadrigae citatis equis, cur-

rus lora sex numero in manibus meis rite composita fidium Kin concentum imitantur; in his novis nuptiis meus conquiescit animus.

Ode 5.

252 Virides muscae susurrum huc illuc volando cient, et agrorum sepibus insidunt. Optime princeps, ne facile credas obtrectatoribus.

Virides muscae susurrant volando et agrorum dumetis insidunt obtrectatores. Nesciunt modum; et in regnis omnibus omnia miscent.

Virides muscae strepunt volando et corylis insidunt; obtrectatores modum nesciunt; inter nos ambos odia concitant mutua, et unius ab altero abalienant animum.

Ode 6.

253 Considere incipiunt convivae ad dextram et sinistram quisque ex ordine. Vasa Pien et Teou loco parato collocantur et disponuntur; dapes et poma apponuntur. Quae vina ministrantur illa sunt dulcia et optima; cum bibunt, omnes aequaliter bibunt. Campana et tympanum loco suo posita sunt. Pocula attolluntur, vina funduntur; ex ordine proceditur; postquam erectus est magnus jaculandi scopus, tunc arcus et sagittae depromuntur, ordinantur sagittarii, et quisque dat specimen suae sagittandi scientiae. Qui scopum attingunt, quisque poculum vini dat illi (qui a scopo aberravit).

Togae sive pacis instituitur saltatio; fit concentus musicus tympani et fistulae Cheng dictae, multis compactae cicutis. Avo suo dignissimo gaudium significant suum; omnibus ritibus rite defunguntur. Quandoquidem nulla negligitur caerimonia, fit apparatus dignus quidem visu et spectatu gravis; sic integra et sincera felicitas te manet, et ista tua laetitia ad filios et nepo-

tes tuos etiam pertinebit. Inter illa gaudia quisque exerit animum; convivae poculum accipiunt, et vina fundere incipiunt; convivae hospites, quibus alii vina superfundunt. Laetitiae poculum hauriens tu stato tempore caerimonias perage.

Convivae sedere incipiunt magna urbanitate, comitate sua et sese mutuo honore invicem prosequentes; cum vino nondum madeant temulenti urbanitatis leges omnino servant, sed temulenti facti tunc modestiae et urbanitatis obliti modum retinere nesciunt, sedem et locum mutant, saltando huc illuc concursant. Nondum vino madentes sibi attendunt, et decentiae curam habent; ebrii autem toto corporis habitu insulsi et agrestes fiunt; ebrietas scilicet nullam legem, regulam nullam novit.

Convivae ebrii inconditos clamores stultum in mo- 154
dum tollunt. Vasa mea Pien, Teou evertunt, ridicule saltant, et labant pedes saltantium; temulenti nempe insaniam suam non noverunt; pileus eorum inversus, capiti leviter adhaerens, jamjam casurus videtur; huc illuc inclinato corpore, cum prae ebrietate vix stare in pedes possint, insani saltant; vino madidi alii abeunt, quibus caeteri prospera omnia precantur; alii remanent et virtutis leges infringunt. Qui vino indulgent, optime quidem, sed modestiae omnino meminisse debent.

Cum fiunt compotationes alii temulenti fiunt, secus alii. In conviviis instituitur inspector, vel qui eum adjuvet alter convivii praefectus. Vino madet ille turpiterque agit; qui siccus est, hunc ejus, qui vinolentus factus est, vehementer pudet. Quomodo erit qui convivas moneat, ut sibi temperent, ne verba mala loquantur, ne insulsa effutiant; qui autem vinolentus

voces ejusmodi protulerit, hic agno cornibus adhuc exermi plectendus? Tu cum tria tantum vini pocula siccaveris, prae nimio vino desipis, quid si plura biberis?

Ode 7.

255 Degunt pisces inter herbas aquatiles, ibi caput eorum magnum fit. Degit Rex in regione Hao dicta, ibi bibere amat.

Degunt pisces inter herbas aquatiles, ibi cauda fiunt longa. Degit Rex in regione Hao, ibi se bibendo oblectat.

Degunt pisces inter herbas aquatiles, ibi latent inter juncos. Degit in regione Hao, ibi in aedibus suis tranquillos agit dies.

Ode 8.

Fabas colligunt, fabas colligunt in canistris arundineis sive quadratis, sive rotundis. Sapientes viri obsequium suum mihi testificaturi venerunt: quam tandem mercedem vobis tribuam? Nullo licet alio vos praemio donatos velim, satis erunt currus quibus vos dono, aureis ornamentis decori et equi jugales, quos vobis largior. Quod tandem erit munus vestrum? Scilicet nigrae vestes draconis in se recurvo corpore insignitae, aliaque insignia Pou dicta.

Scaturit fons, et aquarum vim ingentem emittit; ibi herbam Kin decerpere juvat. Cum sapientes viri obsequium suum testificaturi veniant, vexilla eorum aspicere juvat. Aggregata vexilla et signa huc illuc moventur; agitata tintinnabula et constrepentia suum Houei-houei ingeminant. Quadrigas trahunt tractorii et adjutorii equi; quae omnia virorum sapientium adventum significant.

Genua genualibus rubris induuntur et crura vittis circumligantur. Illorum adventus ipsorum diligentiam arguit; sic a coeli filio (imperatore) laudantur; carissimos sapientes viros coeli filius imperator benigne accipit, et carissimi sapientes viri bonis augentur.

Arboris Tso rami quam frondosi! Sapientes amantissimi sunt imperii columen. Amantissimi sapientes bonorum omnium in partem venient. In comitatu vestro viros habetis regni ministros rerum prudentes, qui vos huc secuti sunt.

Populea cymba in aquis fluctuat rudentibus religata. Sapientes amantissimos coeli filius imperator cognoscit. Amantissimi sapientes majora majoraque sortientur bona. Ipsorum huc adventus laetitiam cumulat.

Ode 9.

Concinnatur arcus, qui variis ex cornu ornamentis decoratur, quem cum tetenderis, si nervum e manu elabi sinas, tunc retroagitur, et arcus dorso fit inverso. Cum fratres, cum affines sitis, nolite inter vos disjungi.

Cum te removeas (a consanguineorum tuorum consortio) populus eodem modo se geret; exemplum tuum aliis erit pro documento quod sequantur.

Fratres hi concordes magno animo, magna animi sinceritate et animorum concordia agunt; fratres autem discordes sunt sibi mutuo exitio.

Populus nequam, et discordiam fovens pro angulo et parva agri parte rixatur. Qui de obtinenda dignitate contendit alteri cedere negat, cumque eo devenit, ut sibi ipse perniciem attulerit, tunc demum a contentione cessat.

---

255. Gravis annis equus equuleum agit nec futurum prospicit, comedit et esca gravatus est; bibit et plus nimio bibere appetit.

Nihil opus est simiam docere arbores conscendendi modum, quasi si lutulentae viae lutum adderetur. Si primates rectam ineant vivendi rationem, hanc viam certe sequentur infimae conditionis homines.

---

256 Nix multa quae cecidit solis radiis in aquam resolvitur. Si ejusmodi homines a te non amandaveris, eo magis cornua tollent superbientes.

Nix multa quae cecidit solaribus radiis solvitur et fit aqua fluens. Sunt similes barbarorum Man dictorum, barbarorum Mao; sic dolore conficior.

Ode 10.

258. Salices multum frondosae sunt, quomodo umbram earum captare adhuc non cogitant? Supremus rerum dominus quam verendus! Noli, inquit, proprius accedere, pacis et tranquillitatis meae curam habeto; sed me postea in summas angustias adductum video.

Salix opaca arbor, quomodo sub umbra ejus quiescere adhuc minus cogitant? Supremus rerum Dominus quam tremendus! Noli, inquit, perniciem tibi inferre, pacis et tranquillitatis meae curam habeto; sed me postea angustiis urgeri video.

Est ut avis altum affectans volando ad coelum usque pertingat. Homini ejusmodi, qui eo est animo, quomodo poterit fieri satis? Ego vero quietus esse quomodo possim? O me miserum! Frustra laboro et aerumnis premor.

Caput 8.

Ode 1.

Urbis regiae magnates ex herba Taï contextum pi- 259.
leum (aestivum) et ex nigra (tela hibernum) pileum gerebant. Virorum primariorum mulieres capillis quam concinnis erant! hoc jam non video meusque animus gaudii sit expers.

Urbis regiae magnates inaures gerebant lapillos pretiosos. Virorum primariorum uxores aut de nomine In, aut de nomine Ki dicebantur; cum haec cernere jam mihi non liceat, animum meum incessit maestitia.

Urbis regiae magnates Zonae suae extrema pendentia habebant. Virorum primariorum conjuges recurvos juxta tempora capillos, quemadmodum scorpionis cauda in se recurva est, gerebant. Haec jam aspicere non datur, sic simul cum aliis discessum cogito.

Non quod zonae suae extrema pendere de industria sinerent, sed ipsorum zona longior erat. Non eo quod temporibus haec capillorum ornamenta consulto adhiberent, sed capilli natura nullaque arte ita in cincinnos assurgebant. Quae cum non videam, quomodo ista non suspicerem?

Ode 2.

Ad vesperam usque herbam Lou decerpo, neque 260.
inde potui decerpere quantum in utraque vola junctis manibus potest contineri. Sparsis sum capillis et inconcinnis, satis est si post reditum eos abluero.

Ad vesperam usque indigo indicum colligo, neque ex eo colligere potui quantum in vestis anterioris panno

contineri potest. Quintum diem condixerat. Sex dies praeteriere, neque ejus conspectu fruor.

Si ille venatum eat, arcum in suo involucro componam. Si piscatum eat, lineam piscatoriam adornabo.

Quos tandem piscando pisces apprehendit? Pisces alios Fang alios Siu dictos; pisces Fang; pisces Siu, quos cernere juvat.

Ode 3.

Frugum Chou prima germina quam luxuriant, imbre opimantur illa. Longe abeo versus austrum et princeps Chao-pe meos solatur labores.

Bajulos egimus, currus traximus, boum curam gessimus, quibus omnibus, cum jam defuncti simus, erit fortasse ut redeamus.

Quidquid pertinet ad pedites aut eos qui curribus vehuntur, ad hominum turmas nostras sive illam, quae Chi, sive eam, quae Liu dicitur, illud omne perfectum est. Sic restat, ut ad propria redeamus.

Opus illud in regione Sie cujus princeps Chao-pe auctor fuit et dux, firmitate sua consistit et ordine placet. Qui ducti fuerunt milites, fortes et strenui. Chao-pe principis cura res tota perfecta est.

Terras depressas aequaverunt, jam fontes aqua limpida fluunt, idque opera principis Chao-pe; itaque imperator jam quieto est animo.

Ode 4.

In terris depressis consitae arbores mori pulchro sunt aspectu, densisque frondibus. Cum sapientis viri conspectu fruar, qua tandem laetitia perfundor.

In terris depressis consitae arbores mori, quàm jucundo sunt aspectu, arborum frondes quanto sunt splendore! Quomodo non gauderem ad sapientis viri conspectum.

In humili solo consitae arbores mori aspectu placent, frondesque earum viriditate sua juvant. Cujus conspectu fruor, ille est, cujus virtus firma et constans est.

Amorem meum quomodo non declarem? Animi mei sensus recondam licet, nunquid unquam hujus immemor ero?

Ode 5.

Plantae Kien dictae albae et florenti advolvitur planta Pe-mao. Jam ille a me dissidet et me deseruit.

Micans et corusca nubes albo colore nitet. Ros supra plantas Kien et Mao decidit. Dura et difficilia jam coelum molitur. Sed ille haec nihil curat.

Exilis et lenta fluit aqua versus boream, quae tamen orizae agros abunde irrigat. Inter suspiria et tristes cantus moerore conficior intimo, et viri clarissimi memoriam refrico.

Arboris mori lignis focum accendo; sed clarissimi viri cogitatio meum certe cruciat animum.

In aedibus regiis pulsata campana foris auditur. Ego vero virum cogitans curis variis premor. Si contingat, ut in me conjiciat oculos, nec mora abit ille (meque omnino negligit).

Accipiter Tsiou dictus in aquis degit ubi molem in circuitu ad piscandum posuerunt. Ciconia autem degit in sylvis. Vir autem clarissimus meum certe angit animum.

---

continineri potest. Quintum diem condixerat. Sex dies praeteriere, neque ejus conspectu fruor.

Si ille venatum eat, arcum in suo involucro componam. Si piscatum eat, lineam piscatoriam adornabo.

Quos tandem piscando pisces apprehendit? Pisces alios Fang alios Siu dictos; pisces Fang; pisces Siu; quos cernere juvat.

Ode 3.

Frugum Chou prima germina quam luxuriant, imbre opimantur illa. Longe abeo versus austrum et princeps Chao-pe meos solatur labores.

Bajulos egimus, currus traximus, boum curam gessimus, quibus omnibus, cum jam defuncti simus, erit fortasse ut redeamus.

Quidquid pertinet ad pedites aut eos qui curribus vehuntur, ad hominum turmas nostras sive illam, quae Chi, sive eam, quae Liu dicitur, illud omne perfectum est. Sic restat, ut ad propria redeamus.

Opus illud in regione Sie cujus princeps Chao-pe auctor fuit et dux, firmitate sua consistit et ordine placet. Qui ducti fuerunt milites, fortes et strenui. Chao-pe principis cura res tota perfecta est.

Terras depressas aequaverunt, jam fontes aqua limpida fluunt, idque opera principis Chao-pe; itaque imperator jam quieto est animo.

Ode 4.

In terris depressis consitae arbores mori pulchro sunt aspectu, densisque frondibus. Cum sapientis viri conspectu fruar, qua tandem laetitia perfundor.

In terris depressis consitae arbores mori, quam jucundo sunt aspectu, arborum frondes quanto sunt splendore! Quomodo non gauderem ad sapientis viri conspectum.

In humili solo consitae arbores mori aspectu placent, frondesque earum viriditate sua juvant. Cujus conspectu fruor, ille est, cujus virtus firma et constans est.

Amorem meum quomodo non declarem? Animi mei sensus recondam licet, nunquid unquam hujus immemor ero?

O d e 5.

Plantae K i e n dictae albae et florenti advolvitur planta P e - m a o. Jam ille a me dissidet et me deseruit.

Micans et corusca nubes albo colore nitet. Ros supra plantas K i e n et M a o decidit. Dura et difficilia jam coelum molitur. Sed ille haec nihil curat.

Exilis et lenta fluit aqua versus boream, quae tamen orizae agros abunde irrigat. Inter suspiria et tristes cantus moerore conficior intimo, et viri clarissimi memoriam refrico.

Arboris mori lignis focum accendo; sed clarissimi viri cogitatio meum certe cruciat animum.

In aedibus regiis pulsata campana foris auditur. Ego vero virum cogitans curis variis premor. Si contingat, ut in me conjiciat oculos, nec mora abit ille (meque omnino negligit).

Accipiter T s i o u dictus in aquis degit ubi molem in circuitu ad piscandum posuerunt. Ciconia autem degit in sylvis. Vir autem clarissimus meum certe angit animum.

Avis Yuen-yang in aquis degit ubi moles ad piscandum posita est et sinistram alam cum altera conjunctim adhibet. Improbus autem ille alius est, ac erat, suumque dividi passus est animum.

Qui in lapidem humi positum pedibus inpingit, demisso fit corpore. Dissidium illius mihi morbum creavit.

Ode 6.

162 Crocea avis Hoang-niao suum cantando Mien-man ingeminat, et collium locis tortuosis insidit. Via est longa et dici vix potest in quantis verser laboribus. Ah! si quis mihi potum et cibum ministraret! Si quis me docere et erudire vellet! Ah si quis (mei misertus) iis qui retro sunt curribus me vehi juberet (longa via fessum)!

Crocea avis suum cantando Mien-man ingeminat, et collium angulis insidit. Nunquid ego ab hoc itinere refugio? Id tantum timeo ne magnis passibus ire non possim. Ah si quis mihi potum et cibum praebere, me docere et erudire vellet! Ah si quis iis qui retro sunt curribus me vehi juberet!

Crocea avis suum cantando Mien-man ingeminat et sidit juxta colles. Non ille sum, qui ire recusem; id tantum timeo, ne pervenire minus possim. Ah si quis me potu et cibo suisque documentis adjuvaret, qui retro sunt curribus me ire juberet!

Pensilis cucurbitae decerpta folia incoquuntur et inde paratur cibus. Quod viro sapienti suppetit vinum funditur et degustatur.

Igni torretur lepus unus, et quae viro sapienti suppetunt vina funduntur convivis.

Torretur lepus unus; quae viro sapienti suppeditant vina funduntur in crateras et offeruntur.

Veru torretur lepus unus, et viro sspienti suppetentia vina funduntur et convivis ministrantur.

Ode 8.

Ardua rupes quam alta est! via montibus et rivis impedita quam longa est! In laboribus certe versantur. Fortes viri ad orientem contra rebelles pugnatum eunt, quibus pugnam pugnantibus nunquam cessare datur.

Ardua rupes o quam praerupta! via quam longa montibus et rivis invia. Quis tandem finis erit? Fortes viri ad ortum contra rebelles pugnant, neque ipsis exire vacat.

Cum porci alba ungulae planta turmatim lavatum eunt; cum luna ad sidus Pi (Aldebaran) pervenit, tunc ingenti fragore praeceps cadit pluvia. Fortes viri in plaga orientali contra rebelles pugnam conserunt, neque aliud agere vacat.

Ode 9.

Plantae Tiao dictae flos jam marcescit et pallido est colore; ego autem moerore conficior.

Planta Tiao suos habet flores luxuriantque ejus folia; si me scivissent eo (infortunii) me deventurum, satius fuisset si me non genuissent.

Ovis caput magnum factum est (quia macra). Sidus San-sing dictum jam apparet in junceis fiscinis, retibus nostris, (quia retia vacua nec piscis ullus in retia devenit). Comedere possunt, non tamen ad saturitatem (in tanta victus penuria).

Ode 10

Quae tandem planta jam non est pallenti colore? Qua tandem die iter sistere datur? Quis negotiis non distinetur? Ubique enim instant negotia quibus curandis incumbimus.

Quae tandem herba partim subrubrum partim subnigrum non induit colorem? Quis vir jam sua non orbus est uxore? Heu nobis qui arma geremus ad bellum, quasi vero in genere humano non annumeraremur!

Non sumus Rhinocerotes, non sumus tigrides, quid igitur sic incedimus per desertas et vastas regiones? Heu nobis militibus a mane ad vesperam quiescere non licet!

Longâ caudâ vulpes per loca herbis conferta incedit; et currus militares longam pergunt viam.

LIBRI CLASSICI CARMINUM.

PARS III.

DICTA TA-YA,

SIVE

MAGNUM RECTUM

(QUOD RECTUM EST SUPERIORE ORDINE).

CAPUT 1.

Ode 1.

Ouen-ouang ille jam sedes superas incolit. O quantam gloriam, quantum splendorem obtinet in coelis! Familia Tcheou jam diu licet regium principatum obtinuerit, recens est, quod adhuc a coelo sic jubente, obtinet beneficium. Tcheou gens illa inclyta nunquid est in obscuro? Nunquid minus favent maximi domini et dominatoris verenda decreta? Ouen-ouang sive ascendat, sive descendat, semper adest ad maximi domini et dominatoris dextram et sinistram.

Ouen-ouang vir attentus et diligens, cujus praeclara facinora nunquam tacebit posteritas. Labore ipsius partum est imperium quod mandato coelesti genus Tcheou inclytum obtinuit, et quod ad Ouen-ouang principis nepotes devenit. In omne aevum erunt principis Ouen-ouang nepotes, ab eo sive recta linea, sive transversa originem ducant. Dynastiae Tcheou

imperii regendi adjutores viri periti et sapientes in omne aevum illustres erunt.

Nonne in omne aevum illustres erunt? ille vero in consiliis suis quam solers et attentus! in cujus regno exorti sunt viri eximii magno numero, sed o quam admirandi! qui ex principis regno prodiere, illi fuere imperii Tcheou columen et condendi imperii primi auctores; qui sapientes viri cum ingenti numero essent iis fretus princeps Ouen-ouang pace et tranquillitate magna fruebatur.

Ouen-ouang singulari virtute a captu hominum quam longe remotâ princeps, o quanta animi solertia, o quam sibi semper constitit! Sic beneficio singulari a coelo donatus est. Dynastiae Chang sanguine regio nepotes, quorum numerus ad centum millia et amplius pertingebat, illi inquam quotquot erant rerum omnium summo domino et dominatore ita jubente dynastiae Tcheou imperio se subdiderunt.

Gentis Tcheou imperio se subdiderunt illi; scilicet qui coeli gratiam, qua imperarent, obtinuere, eam possunt amittere. Nunc autem qui dynastiae In parebant imperio viri eximii et rerum periti, in curiam nostram veniunt, et libaminum ritibus defunguntur; dum autem oblationum ritus peracturi veniunt vestes solennes Fou dictas induunt, et pileum Hiu gerunt. Sic autem Regis fidos magnates compellant: nonne par est vos in imperii vestri conditoris cogitatione esse defixos?

Nonne par est, vos tanti viri, qui imperium vestrum condidit, memoriam retinere? Virtutem ejus vobis proponite ad imitandum. Id semper agite seduli,

ut (coeli) jussa facessatis, atque ita a vobis (virtutem colentibus) multa repetentur prospera. Quamdiu dynastia In populum sibi addictum habuit, summus rerum omnium dominus favit illi et adfuit; hoc jubente, illa obsequente, inter maximum rerum omnium dominum et dynastiam In erat concentus quidam. Dynastia In debet esse pro speculo. Coeli favor est arduus, ad quem ascendere labor est.

Coeli favor non est quid facile; itaque id agas diligens, ut ipsum a te ne amittas; famae tuae consule, idque effice, ut ubique bene audias. De dynastia In non ex alio quam ex coelo ipso judicium facias. Coelum autem augustum non habet vocem quam audiamus, odorem quem olfaciamus. Principis Ouen-ouang exemplum sequere, sic gentes omnes In fidem et clientelam tuam se conferent.

Ode 2.

In terris splendor (virtutis) maximus elucebat; in coelis autem verenda majestas non obscuris signis manifestabatur. Scilicet temere fidere coelo, res est plena periculi, neque ita facile est regnare; sic In dynastiae regii nepotes, qui in imperium a coelo datum successerant, imperium servare non valuerunt. 269.

Puella princeps de nomine In secunda in regno Tchi dicto, ex imperiali In sive Chang gente, ad regnum Tcheou dictum venit et ibi nupsit. Regni sedes, urbs regia hanc habuit reginam. Principi Ouang-ki conjux facta mulier summa virtutis laude se gessit; praegnans fuit, quae hunc principem Ouen-ouang peperit.

---

imperii regendi adjutores viri periti et sapientes in omne aevum illustres erunt.

Nonne in omne aevum illustres erunt? ille vero in consiliis suis quam solers et attentus! in cujus regno exorti sunt viri eximii magno numero, sed o quam admirandi! qui ex principis regno prodiere, illi fuere imperii Tcheou columen et condendi imperii primi auctores; qui sapientes viri cum ingenti numero essent iis fretus princeps Ouen-ouang pace et tranquillitate magna fruebatur.

Ouen-ouang singulari virtute a captu hominum quam longe remotâ princeps, o quanta animi solertia, o quam sibi semper constitit! Sic beneficio singulari a coelo donatus est. Dynastiae Chang sanguine regio nepotes, quorum numerus ad centum millia et amplius pertingebat, illi inquam quotquot erant rerum omnium summo domino et dominatore ita jubente dynastiae Tcheou imperio se subdiderunt.

Gentis Tcheou imperio se subdiderunt illi; scilicet qui coeli gratiam, qua imperarent, obtinuere, eam possunt amittere. Nunc autem qui dynastiae In parebant imperio viri eximii et rerum periti, in curiam nostram veniunt, et libaminum ritibus defunguntur; dum autem oblationum ritus peracturi veniunt vestes solennes Fou dictas induunt, et pileum Hiu gerunt. Sic autem Regis fidos magnates compellant: nonne par est vos in imperii vestri conditoris cogitatione esse defixos?

Nonne par est, vos tanti viri, qui imperium vestrum condidit, memoriam retinere? Virtutem ejus vobis proponite ad imitandum. Id semper agite seduli,

ut (coeli) jussa facessatis, atque ita a vobis (virtutem colentibus) multa repetentur prospera. Quamdiu dynastia In populum sibi addictum habuit, summus rerum omnium dominus favit illi et adfuit; hoc jubente, illa obsequente, inter maximum rerum omnium dominum et dynastiam In erat concentus quidam. Dynastia In debet esse pro speculo. Coeli favor est arduus, ad quem ascendere labor est.

Coeli favor non est quid facile; itaque id agas diligens, ut ipsum a te ne amittas; famae tuae consule, idque effice, ut ubique bene audias. De dynastia In non ex alio quam ex coelo ipso judicium facias. Coelum autem augustum non habet vocem quam audiamus, odorem quem olfaciamus. Principis Ouen-ouang exemplum sequere, sic gentes omnes In fidem et clientelam tuam se conferent.

Ode 2.

In terris splendor (virtutis) maximus elucebat; in 269.
coelis autem verenda majestas non obscuris signis manifestabatur. Scilicet temere fidere coelo, res est plena periculi, neque ita facile est regnare; sic In dynastiae regii nepotes, qui in imperium a coelo datum successerant, imperium servare non valuerunt.

Puella princeps de nomine In secunda in regno Tchi dicto, ex imperiali In sive Chang gente, ad regnum Tcheou dictum venit et ibi nupsit. Regni sedes, urbs regia hanc habuit reginam. Principi Ouang-ki conjux facta mulier summa virtutis laude se gessit; praegnans fuit, quae hunc principem Ouen-ouang peperit.

Hic autem Ouen-ouang vir fuit summa prudentia et vigilantissimus princeps. Maximum rerum dominum et dominatorem (Chang-ti) colebat singulari cultu; itaque innumera bona in ipsum confluxerunt; virtus ejus nihil pravi sibi admisti patiebatur, sic terrae tractus imperio ejus paruerunt.

Coelum terris infra positis invigilat, et ibi adest praesens. Coelum sua fecit decreta, sic ineunte anno principis Ouen-ouang nuptiae a coelo conciliatae sunt ad austrum amnis Hia, juxta amnem Ouei. Princeps matrimonium inivit; et vastum regnum puellam habuit (Reginam suam).

Vastum regnum Reginam habuit puellam, quam coeli sororem dixisses. Ad caerimoniam (nuptiarum) dies idoneus constitutus est; ipse (Ouen-ouang) obviam ivit ad amnem Ouei, ubi ex cymbis pons factus est. Summo apparatu, dignitate maxima res omnino peracta est.

Fuerunt a coelo decreta quae ad Ouen-ouang principem spectabant; sic autem ferebant decreta coelestia, ut in regni Tcheou sede regia succederet in Reginam puella princeps aliis sororibus suis aetate major, ex regno Sin dicto oriunda, quae summo (coeli) beneficio principem Ou-ouang pareret: ferebant etiam decreta, ut salvus et incolumis et singulari beneficio fretus tu (o princeps Ou-ouang) rationis et aequitatis leges secutus magnam dynastiam Chang debellares.

In sive Chang dynastiae coacti sunt milites tanto numero ut sylvarum arbores multitudine adaequarent. In campis Mou-ye aciem ordinaverunt; sed nostri milites animo magno et alacri vigebant. (Sic autem ad

principem Ou-ouang factus est sermo;) adest tibi dexter, summus rerum dominus et dominator, ne patiaris animum tuum inter metum et spem dividi.

Vasti sunt campi Mou-ye, ibi cernere erat currus ex ligno Tan compactos, lumine magno coruscantes, quam praeclaro aspectu, quadrigarum equos corpore rufo et ventre albo, specie feroci, firmisque viribus. Militum autem dux de titulo Chang-fou, quasi accipiter, qui in praedam involat, principi Ou-ouang aderat belli administer; pugna conseritur, et in magnae dynastiae Chang exercitum fit impetus; die una pugnatur et hostes funditus deleti sunt; exitus minime dubius fuit.

Ode 3.

Cucurbita initio parva illa quidem, in multas ta- 271.
men propagines late diffunditur. Haec fuerunt gentis (Tcheou) primordia. Initio quidem fuit in regione quam alluunt amnes Tsou et Tsi, Tan-fou ille de titulo Kou-kong in spelunca et subterraneo tugurio degebat, ubi adstructi erant camini, alii ex aliis extantes; non enim meliorem domum ubi habitaret habebat.

Tan-fou titulo Kou-kong die sequenti equum conscendit; iter habuit juxta ripam occidentalis fluvii, ad radices (montis) Ki pervenit, cumque (uxore sua) Kiang-niu, re perspecta, ibi sedem fixit.

In regione Tcheou (illa) planities et campi solo fertili sunt. Ibi planta Kin necnon cichorea Tou hordeacei pulmenti dulci sapore gaudent. (Cum in illas terras pervenissent) Tunc primum deliberare coeperunt, ignem testudini admoverunt. (Quibus peractis faustoque omine) hic sistamus, bene hic habitabimus, dixerunt, jam tempus est; domos hic construamus.

Ibi suos solati sunt labores, ibi sedem fixerunt; sive ad orientem, sive ad occidentem ditionis suae limites et agrorum terminos constituerunt; in varias habitationes sese distribuerunt; varia circa rem agrariam decreverunt; ab occasu ad ortum nihil quod agendum esset omiserunt.

Qui urbi construendae praefectus erat de titulo See-kong, nec non qui publicas operas curabat praefectus de titulo See-tou accersuntur; jubentur aedes construere, perpendiculum adhibere, cujus ope substructiones recta linea surgunt; tabulae ligneae inter se colligatae recto ordine collocantur; sed praecipua cura est in parentalium aedibus construendis.

Fervet opus et terram in corbes multam congerunt, quam allatam aggerunt (inter murorum construendorum tabulata), interea operi incumbentes suum Hong-hong clamando ingeminant, quibus alii respondentes suum Teng-teng ingeminant. Muri surgunt, quod superfluum est resecant, et male constructum supplent et concinnant. Centum *) parietum opus assurgit, et pulsatur tympanum Kao-kou, signumque datur ut ab opere cessent; et cessare renuunt.

Urbis regiae porta collocatur, et quidem alta, nec non porta illa per quam princeps ingredi et egredi solet, et in ea elaboranda multum curae ponitur; locus ad sacrificium Che dictum constituitur, inde enim rerum agendarum et belli indicendi principium et ratio repetitur.

Effugere ille non potuit hominum invidiam, quae tamen offendit solido, nec de ejus fama quidquam de-

*) Numerus centum in lingua sinensi indefinitus.

trahere valuit. Tso et Yu arbores raris et paucis ramis creverant, sic viae patuerunt et loca pervia facta sunt. Kouen-y (gens barbara) fugit et mussitare non ausa, spiritum ducere posse satis habuit.

Reges duo, unus qui in Yu, alter qui in Youi regnabat, inter se litigantes, ad principem Ouen-ouang quem litis suae arbitrum selegerant, causam dicturi confugerunt; inde principis Ouen-ouang nomen et auctoritas mirum in modum invaluit. Ego vero sic censeo: tum Ouen-ouang habere coepit ex longinquis regionibus viros sibi addictos. Sic censeo: Ouen-ouang tunc habere coepit perspicaces viros viae cujusvis exitum et introitum perspicientes. Ego sic censeo: tunc ad principem Ouen-ouang undique confugere coeperunt qui ipsius partes amplecterentur. Sic censeo: Ouen-ouang tunc habere coepit ad sui suaeque ditionis custodiam praesidium militare vigilans et attentum.

Ode 4.

Quam luxuriant arbores Yu, adunatae plures crescunt, inde suppetit caedentibus magna vis lignorum. Quanta oris specie, quanta dignitate Rex noster. Omnium in se convertit oculos, et ad eum spectant mortalium animi.

Quanto dignitatis ore Rex noster! Qui adsunt a latere huic offerunt lancem Tchang dictam, ipsi offerunt lancem Tchang, sed quam venerabunde! Hae sunt partes, hoc est munus sapientium virorum titulo Chi insignitorum.

It cymba in amne King, omnes remis et contis cymbam impellunt euntem; praeterit Rex Tcheou

suamque pergit viam: Sex militum legiones (Chi, dictae) eum sequuntur euntem.

Magna est via lactea, estque coeli decus et ornamentum. Rex Tcheou immortalis, qui vitam quasi aeternam vixit, quomodo mutationem morum inter homines non fecisset?

177, Caelatur aurum, caelatur gemma, atque ita auro et gemmae suum additur decus, cui apta materia subest. Sic Rex noster diligentiam omnem adhibuit, labori nihil pepercit, totumque imperium ex illo pendebat.

Ode 5.

In montis Han dicti radicem converte oculos, ibi cernere est corylos quam multas, arbores Hou, quanto numero! Aequitate et animi moderatione summa sapiens non aliud stipendium aut praemium quaerit, quam virtutis praemium.

277, In gemma illa subtili opere elaborata est flavum vinum; morum comitate et aequitate insignis est vir sapiens, in quem bona et prospera confluunt.

Avis Yuen volando ad coelum usque se proripit; et piscis ad imum aquae gurgitem natando se dimittit. Morum comitate et aequitate insignis vir sapiens, quomodo mutationem morum inter homines non faceret?

Defaecata vina funduntur, subruber taurus paratur et peragendis oblationibus magna felicitas comparatur.

Arbores Tso et Yu multae crescunt, quarum ligna comburuntur. Morum comitate et aequitate insignis est vir sapiens, cujus labores solatur spiritus.

Luxuriat planta Ko et in varias propagines late diffunditur, quae arborum ramis adrepunt et innituntur. Morum comitate et aequitate insignis vir sapiens

felicitatem quaerit, quae nihil habeat, quod rectae rationi adversetur.

Ode 6.

Quanto dignitatis habitu erat foemina princeps Taï-jin principis Ouen-ouang mater, quae principis foeminae Tcheou-kiang sibi devinxit animum. Talis in aula fuit Regina et domi mater familias; huic successit mulier princeps Taï-sce, nec non in famam ejus et laudes eximias successit, et innumeros habuit nepotes.

In aula majorum parentalibus dicata obsequium praestabat suum, sic spiritui nullus conquerendi, spiritui nullus aegre ferendi locus erat. Uxorem suam sibi proponebat ad imitandum; fratresque his vestigiis insistebant, inde bonum regni regimen.

Cum domi versabatur animorum concordiam fovere satagebat, cum in avorum aula, venerabundus adstabat. Si in locorum abditis et ab hominum conspectu remotis locis, ita agebat quasi si praesentes adessent; licet natura attentus esset et diligens, novos tamen conatus semper adhibebat, novamque diligentiam.

Magnas aerumnas vitare non potuit, quae tamen virtutem ejus et animi fortitudinem nihil laedere valuerunt; quae non audierat haec egit; quam vivendi rationem non doctus fuerat hanc secutus est, sibi ipse magister et dux.

Adolescentes nostri nunc virtute praestant, pueri nostri liberaliter educati. Hoc debemus antiquo viro illique impigro, cujus virtus viros eximios fama sua insignes nobis peperit.

Ode 7.

Scilicet magnus est et augustus summus rerum dominus et dominator; inferioribus locis adest quidem

praesens, sed quam verendus. Quascumque terrae plagas hic diligenter perspiciens pacem populorum quaerens mortales pacare studebat; cumque (Chang et Hia dynastiarum) duorum imperiorum regimen pessimum esset, sic ad varia regna diligenter attendit, volens tantis malis mederi, summus rerum dominus et dominator (principem Tcheou, Tan-fou seu Tay-Ouang) viribus et potentia auxit, ditionem in novas terras protulit; sic benevolentia complectens occidentalem plagam benigne respexit, et his in terris sedem (principis Tcheou) fixit et constituit.

(Cum in terras a summo rerum domino et dominatore datas pervenisset) Eradicare coepit et auferre arbores sive eas quae adhuc stantes aruerant sive eas quae prostratae sine humore jacebant. Arbores quae confertim crescentes in solo nimis angusto positae erant, ne sibi invicem nocerent, his spatium majus aperuit; ex salicibus et arboribus Kiu dictis superflua resecuit; arbores Yen et Tche amputando purgavit. Rerum dominus et dominator insigni virtute virum alio demigrare curavit; sed (Barbari) Kouen-y vias occupaverant et impleverant. Coelum nuptias conciliavit; et coeli mandatum quo imperium obtinuit (gens Tcheou inclyta) jam firmum et irrevocabile.

Rerum dominus et dominator montes respexit et vidit arbores Tso et Yu eradicatas, viamque patere inter arbores pinos et cupressos. Rerum dominus et dominator has terras in regnum statuit, et qui ibi regnaret dignum virum selegit inter (duos fratres) Taï-pe et Ouang-ki; sed Ouang-ki vir erat moribus amantissimis, et optima indole, qui cum fratre majore concordiam servare studebat; atque ita rerum dominus et dominator in eum multa bona benigne con-

gessit et ipsi splendorem addidit; rebus autem secundis et ex voto succedentibus sibi suisque officiis nihil defuit, unde contigit, ut undique praeter opinionem varia regna ejusdem parerent imperio.

Hic erat scilicet Ouang-ki, qui a rerum domino et dominatore animum sortitus erat prudentem in judicando, purum, nulla labe contaminatum, solertem et perspicacem, qui rem quamlibet suo momento ponderare novisset, gravem, qui quod praecipuum est praestare posset, atque ita solio dignum. Hic visus est, si in magni regni solium eveheretur, posse clementia sua sibi subditos populos regere et summos inter et infimos animorum concordiam fovere. Ouen-ouang autem, cum ad ipsum perventum est, ea virtute fuit quae nihil invisum haberet, nihil quod populis minus esset acceptum, sic rerum domini et dominatoris beneficium accepit quod ad posteros suos transmisit.

Sic Rerum dominus et dominator ad principem Ouen-ouang: ab officiorum finibus discedere noli, cave ne virtutem deserens vitium secteris, cupiditate et libidine ducaris. Ad virtutis apicem cito te efferre contendas oportet. Regionis Mi homines pleni audacia ausi sunt magni regni detrectare imperium, in regionem Youen grassati sunt, et ad regionem Kong pervenerant; tunc Rex vehementer iratus, instructo exercitu proficiscitur, hostes repellit. Gentis Tcheou prosperitas ingens fuit, neque imperii spes factae sunt irritae.

Pace fruebatur in urbe sede regia, cum ex regionis Youen finibus contra hostes profectus est. Montes nostros conscenderant; in montibus nostris non ipsis licebat ordinare (aciem), in montibus nostris, ad montium nostrorum radices, ad nostros fontes non licebat illis jumenta adaquare; nostri erant fontes, nostri erant

lacus. Regio illa bona regio visa est, et ad austrum montis Ki juxta amnem Ouei sedes fixa est. Ibi norma erat quam regna omnia sequantur, ibi erat subditorum populorum Rex et dominus.

261. Sic principi Ouen-ouang rerum dominus et dominator, ego, inquit, virtutem tuam insignem usque cogito; ea est quae verborum sonum et vultus colorem non quaerat; non ea est, quae nova et singularia meditetur, ut ingenium et industriam ostentet. Quasi ignarus et imperitus ita agis demisse, et ab omni superbia remotus, id unum studens, ut ad regulam quam rerum dominus et dominator praescripsit te dirigas. Sic rerum dominus et dominator principem Ouen-ouang compellat: de hostium tuorum regione quaestionem habeto, cum tuis fratribus et confoederatis uncorum et scalarum ope accedens impetum facito, et urbem in regno Tsong expugnatum ito.

Accedit ut (in hostes) irruat, placide tamen, nec properato opus esse judicat. Regni Tsong urbs illa moenia habet alta et magna. Capit hostes, de quibus poenam repetit, sed ex ordine, nihil perturbate agit; (hostium) aures amputat, sed in eo ipso humanitatis et gravitatis memor est. Caeremoniarum sive Laei sive Ma dictarum observantissimus est, ita ut animos sibi devinciat, et populos suo subdat imperio, nullusque rebellare audeat. Ad bellum procedit fortis et potens. Regni Tsong urbs est munita illa quidem et firma, quam oppugnat, in quam milites mittit, ad quam iter intercludit, quam expugnat et delet, victorisque imperium ubique temnere non audent.

Ode 8.

Plana superficie aggerem speculatorium, miro opere Lin-taï dictum attollere aggrediuntur; dumque operi sese accingunt, concurrunt populi ad operis construc-

tionem et intra paucos dies opus absolvitur. Initio operis nihil esse quod festinent monentur, ad opus tamen properabant quemadmodum filii (qui parentibus suppetias veniunt).

Cum Rex Ouen-ouang in septis sylvarum Lin- 282
yo dictis versaretur, videre gaudebat cervas cicuratas hominum conspectum nihil pavere, plures simul jacere, cervas pinguedine nitere; albas volucres sua albitudine et munditie oculos juvare. Erat etiam cum Rex ad stagnum pergeret plenum piscibus hic et illic subsultim in aqua ludentibus.

Abacus erat magnificus (cujus pars extrema denticulata), unde appensa erant instrumenta musica, magnum tympanum et campana. O quam gaudebat concentu musico tympani et campanae! o quam versari amabat in academiae et palaestrae Pi-yong dictae campo!

Tympanum et campana o quanto sonorum concentu pulsabantur! o quam juvabat in palaestrae et academiae campo proludere! Tympanum pelle piscis To dicti tensum sonum reddebat quanta harmonia! homines oculis capti musicam tractabant et moderabantur.

Ode 9.

Ouen (ouang) et Ou (ouang) ambo fuerunt 283
dynastiae Tcheou conditores. Gens illa inclyta alios ex aliis per saecla summo ingenio reges habuit. Tres principes de titulo Heou jam in coelo sedem habent suam; quibus (avis) certe dignus est Rex, cujus conspectu hic in aula fruimur.

Rex quo in aula fruimur, tantus Rex tantis avis certe dignus est. Id nempe studet ut majorum suorum virtutes imitetur, ut a recta ratione nunquam deflectens (summi rerum domini) imperio semper obtemperet, aequitatis et fidei observantissimus custos.

Aequitatis et fidei observantissimus suis praeit exemplo quod sequantur; ab obsequio erga majores et reverentia ipsis debita nunquam deflectere satagit, et ipsius erga avos pietas caeteris est norma vitaeque exemplar.

Unus ille vir suis in primis carissimus est quos virtute sua et clementia sibi devinxit; id agit sedulus ut suum avis suis obsequium testetur; et patrum suorum, in quorum locum successit, rebus gestis splendorem affert.

Nepotibus suis exemplo praelucet et patrum suorum vestigiis insistit; sic in mille mille annos regnabit coeli beneficio et imperii potietur.

Coeli beneficio imperium obtinuit et gentes undique ipsi gratulatum conveniunt. Qui dynastiae Tcheou imperium tueantur et fulciant in mille et mille annos neutiquam deerunt.

Ode 10.

Ouen-ouang clarissimus fuit, o quantum sibi nomen peperit! id egit nempe ut pacem populis et quietem pararet, rationes quaesivit quibus consilia sua ad exitus optatos perduceret; Ouen-ouang scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

Coeli auspiciis et summo beneficio, coelo ita jubente Ouen-ouang insignes de hostibus palmas retulit, et Regno Tsong debellato urbem construxit in regione Fong. Ouen-ouang scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

Moenia construxit, quae fossis accommodata essent, urbem condidit, quae cum moenibus apposite cohaereret. Non ipsius erat praeceps in agendo animus, sed

majorum suorum voluntati morem gerens avita consilia animo recolebat. Princeps ille scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

Regis merita praeclara et laudes eximiae maxime enituerunt in condenda urbe Fong: undequaque populi conveniebant, qui se ipsi dederent, quem regem spectabant ut columen suum et commune perfugium. Princeps ille scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

Amnis qui regionem Fong irrigat ad orientem fluit; quod factum est opera et industria (magni principis) Yu. Huc undequaque fit concursus hominum, qui augustum principem Regem salutant. Princeps augustus ille scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

In principis Ou-ouang urbe regia Hao dicta palaestrae et academiae locus erat Pi-yong dictus. Ab oriente et occidente, a borea et austro populi, quotquot erant, omnes Regis imperio parere volebant: Augustus princeps ille scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

Princeps rebus mature perpensis in Hao urbe regia sedem figere volens, et testudine auguria quaesivit, negotium a principe Ou-ouang opere completum est. Ou-ouang scilicet populorum dominus et Rex.

Regio Fong aquis irrigua fert etiam herbam Ki; quis principem Ou-ouang otiosum dicat? Nepotibus suis prospicientem et pii filii tranquillitati invigilantem. Ou-ouang scilicet populorum dominus et Rex.

Caput 2.

Ode 1.

Gens (Tcheou) inclyta originem trahit a muliere Kiang-yuen. Quid ita? cum sine liberis esset illa, 284

preces fundebat suas, sacrificiis nihil parcebat. In vestigio, quod rerum dominus et dominator (pedis sui) maximo digito impressum reliquerat, institit illa, et ecce intima praecordia, in spatioso loco ubi steterat, moveri sensit; inde concepit et in vicina domo substitit, ubi filium peperit, hunc scilicet Heou-tsi, unde gens Tcheou inclyta.

Uterum gerendi tempore expleto, primogenitum peperit, ut ovis agnum, sine labore, sine dolore, quin gemeret, quin pateretur; quod (nati) dotes eximias clare portendebat: scilicet quod summus rerum dominus et dominator facit, id omne sine labore facit et sacrificia accepta habet. Sic illa filium genuit.

Filium abjecit in angustum tramitem, bovesque, et oves infantulum proculcare parcentes ipsi adblandiebantur; in magnam sylvam abjecto puero occurrerunt homines qui ligna caedebant; hunc abjecit super glaciem; et volucres ipsum extentis alis protegebant; abierunt aves, tunc Heou-tsi vagire coepit, idque grandi voce, ita ut vias longe lateque vagitibus compleret.

Humi pedibus et manibus reptabat puer, jam longe grandior et robustior factus, ore cibum quaerebat; fabas colere coepit, et quas seruerat fabae, quas seruerat fruges, sive sesami, sive tritici segetes quam laetae, quam feraces in germina pullulabant; cucurbitarum magnarum et parvarum quanta luxuries!

Cum agriculturae Heou-tsi curam gereret, non deerant qui ipsius laborem adjuvarent. Hic autem cum agrum quibus scatebat herbis purgaverat hasque messuerat, tunc sementem bonam terrae mandabat, sed semina adhuc cruda, quorum gluma non dehisceret;

macerabat, et glumam dehiscere curabat; semina sic parata in terram mittebat, quae paulatim in germina exibant; germina autem in spicas surgebant, et spicae in grana abeuntes maturescebant, quae nihil jejunae sed omnino turgentes suo pondere deorsum vergebant: sic factum est ut ille in regione Taï domum et fundos habuerit.

Optima semina ad sementem distribuebat, varia scilicet milii et frumenti genera, alia Kiu dicta quae subnigra sunt, alia Pi quae in una gluma duo grana continent, alia Men quae subrubra sunt, alia Ki quae subalba. Quae colebat frumenta Kiu et Pi ea post messem in agro reposita servabat. Quae autem colebat frumenta Men et Ki ea humeris aut dorso imposita transvehebat, quibus uteretur in sacrificia. Quae fieri instituit et in oblationes.

Sic autem fiunt sacrificia, sic oblationes nostrae: frumenta pistillo proteruntur et protrita ex mortario accipiuntur, ventilantur et manibus diligentius atteruntur, aqua lavantur quae in vas effusa suum Seou-seou ingeminat, deinceps placentae fumo aquae ferventis et vapore decoquuntur. Dies seligitur, abstinemus et animum vitiis purgamus; adeps herbis odora accipitur et offertur; vervecem adhibemus ut Pe (spiritui) suus sit honos. Caro assatur, torretur; ut venturus annus post praesentem annum (felix) contingat.

Vasa alia Teou, alia Teng dicta implemus, et nidor dapum in aëra tollitur suaveolens; placetque honos ille summo rerum domino et dominatori, eumque acceptum habet; sed quid hic oblatorum nidorem et sacrificii faciendi tempus opportunum tantum commemoramus? ubi Heou-tsi ille sacrificia fieri instituit, populus nullo scelere vitam suam contaminavit, nihil

cujus poeniteret perpetravit, quod usque adhuc perseverat.

Ode 2.

Arceantur boves, arceantur oves ne juncos juxta viam confertim crescentes ungulis suis proterant. Jam sata gemmare incipiunt, jam densis esse foliis. Bene conveniat inter te et fratres tuos, nolite inter vos simultates gerere, cognatos tuos ne habeas ut extraneos, sed ut propinquos; ego autem cognatos meos considere jubeo, mensasque appono paroque convivium.

Celebratur convivium, omnia loco suo collocantur, qui mensas apponunt famuli alii ex aliis operam suam praestant; alii fercula ministrant, alii vina fundunt. Lavantur pocula, et lauta collocantur, carnes et juscula apponuntur; carnes aliae igni impositae torrentur, aliae verubus fixae assantur; optimae sunt dapes nempe quadrupedum jecur et rostrum; interea canit symphonia, alii concinunt, tympana pulsant alii.

Sunt arcus variis figuris in ligno incisis depicti, firmi illi quidem, et arcui suae sunt idoneae sagittae numero quatuor. Emittuntur sagittae quae scopum attingunt; hospitum et eorum solertiae fit delectus; arcus depictus, quam maxime tendi potest, tenditur, mittuntur quatuor sagittae, quae in scopo fixae manent et arrectae. Hospites autem intra modestiae fines se continent, neque unus alterum contemnit.

---

255. Tu qui caerimoniis et oblationibus praefuisti, dulci vino et optimo nos excepisti, magnum craterem ad bibendum nobis praebuisti. Multos vitae annos tibi apprecamur, aetatem grandaevam et prae senio dorsum simile piscis Taï dicti (rugis exaratum) precamur. At-

quae utinam in senectute tua habeas, qui te euntem deducant et fulciant; te senem prospera comitentur, tibi seni splendida et ingens felicitas obtingat.

Ode 3. 288.

Multo vino indulgere nobis dedisti, ad satietatem beneficio tuo comedimus: o tu vir sapiens! aeternum vive, splendorem magnum, multa prospera sortiaris, precamur.

Largo vino nos excepisti; fercula tua nobis apposita sunt; o tu vir sapiens! aeternum vive, magnus sit splendor tuus, precamur.

Cum splendor tuus late omnia compleverit, splendidos dies tuos nullis tenebris, nulla macula obscuratos (mors sancta) sanctus finis subsequatur. Sancta mors quae te manet, jam initium habet (scilicet ab ea quam ducis vitam sanctam scelerisque puram); (qui in parentalibus personam mortui sustinet) puer Kong-chi dictus haec tibi fausta praenuntiat.

Quid tandem monet puer ille Kong-chi: vasa, inquit, Pien, Teou munda erant; convenerunt amici qui rem (parentalium) adjuvarent. Operam suam dederunt quanta majestate!

Hanc oris dignitatem certe postulabant temporum circumstantiae; tibi sunt, o vir sapiens, filii obsequiosi, magis magisque obsequiosi, tibique aeterna bona contingent.

Quae tandem bona consequitur ille? Scilicet domi suae ingentem splendorem, fulgens familiae decus et ornamentum. Vir sapiens aeternum vivat. Res fauste, feliciter, prospere ipsius filiis et nepotibus usque eveniant.

Qui tamen, o vir sapiens, tui futuri sunt nepotes? ii erunt scilicet, quos coelum iisdem quibus te beneficiis cumulet. Aeternum vive; adsit tibi coelum, nec dubio favore te tuosque fortunet.

Quis tandem erit illi favor? Conjux tua sapiens mulier, sapiens mulier in uxorem tibi dabitur, ex qua tibi nascentur nepotes.

Ode 4.

259 Anates Fou, Y in amne Kin versantur. Puer Kong-chi venit ad convivium, et nos ex conspectu ejus recreamur. Purum est vinum, quo nos excipis, suaveolent dapes, quas nobis apponis, Puer Kong-chi convivatur et nobis evenient prospera.

Anates Fou, Y in arena aquis irrigua degunt. Puer Kong-chi venit ad epulas, et bene nobis est, quod veniat. Abunde nobis sufficis vinum, dapes nobis praebes luculentas. Convivatur puer Kong-chi resque nobis prospere evenient.

Anates Fou-Y in parvis insulis degunt. Puer Kong-chi jam pergit ad convivium; vina tua defaecata, cibi tui optimi; puer Kong-chi convivatur; ad nos bona et prospera descendent.

Anates Fou, Y in aqnis versantur. Puer Kong-chi convivium quod celebraturus venit summo honori ducit; in aedibus avorum memoriae dicatis convivatur; sic bona et prospera ab alto venient; adest convivio puer, et multa prospera consequemur.

Anates in aquarum torrente versantur. Puer Kong-chi venit et nos concordi animo laetamur. Optimo

vino recreamur; tostae carnes suavem spirant odorem; convivatur puer; neque ulla nobis adversa contingent.

Ode 5.

Princeps optimus et amantissimus virtutem suam profert, et palam facit, ad populorum commodum et hominum utilitatem et bonum; itaque a coelo beneficia insignia accipit; adest illi coelum imperiumque ejus tuetur; prospera illi a coelo iterum iterumque obtingunt.

Prospera percipit innumeraque percipit, nepotes nasciturος non tot quin plures viros egregios, omnibus laudibus ornatos, potentes et splendidos, alios imperii dignos dynastas, alios imperatores meritissimos, qui ea virtute erunt, quae nihil peccati admittat, nihil incuriae; et in regendo ipsi antiquam doctrinam sequentur.

Vir eximius plenus est majestate et gravitate; virtute sua quantum sibi nomen peperit! officiorum suorum observantissimus; nullas simultates, odia gerit nulla, suis nihil diffidit, quorum securus opera utitur; felix, ejusque immensa felicitas; gentibus omnibus columen; ejusque ad nutum moventur omnia.

Gentes omnes quibus est columen, ad nutum ejus moventur, et in eo conquiescunt; magnatum suorum paci et quieti studet; varii Reguli imperiique administri eum imperatorem amant, muneris sui diligentes nihil socordiae nihil incuriae in se admittunt, sic populi pace summa fruuntur.

Ode 6.

Kong-lieou noster egregia virtute princeps nihil parcebat labori, nec delicias et quietem quaerebat: in re agraria et agrorum limitibus definiendis sedulus

lacus. Regio illa bona regio visa est, et ad austrum montis Ki juxta amnem Ouei sedes fixa est. Ibi norma erat quam regna omnia sequantur, ibi erat subditorum populorum Rex et dominus.

281, Sic principi Ouen-ouang rerum dominus et dominator, ego, inquit, virtutem tuam insignem usque cogito; ea est quae verborum sonum et vultus colorem non quaerat; non ea est, quae nova et singularia meditetur, ut ingenium et industriam ostentet. Quasi ignarus et imperitus ita agis demisse, et ab omni superbia remotus, id unum studens, ut ad regulam quam rerum dominus et dominator praescripsit te dirigas. Sic rerum dominus et dominator principem Ouen-ouang compellat: de hostium tuorum regione quaestionem habeto, cum tuis fratribus et confoederatis uncorum et scalarum ope accedens impetum facito, et urbem in regno Tsong expugnatum ito.

Accedit ut (in hostes) irruat, placide tamen, nec properato opus esse judicat. Regni Tsong urbs illa moenia habet alta et magna. Capit hostes, de quibus poenam repetit, sed ex ordine, nihil perturbate agit; (hostium) aures amputat, sed in eo ipso humanitatis et gravitatis memor est. Caeremoniarum sive Læi sive Ma dictarum observantissimus est, ita ut animos sibi devinciat, et populos suo subdat imperio, nullusque rebellare audeat. Ad bellum procedit fortis et potens. Regni Tsong urbs est munita illa quidem et firma, quam oppugnat, in quam milites mittit, ad quam iter intercludit, quam expugnat et delet, victorisque imperium ubique temnere non audent.

Ode 8.

Plana superficie aggerem speculatorium, miro opere Lin-taï dictum attollere aggrediuntur; dumque operi sese accingunt, concurrunt populi ad operis construc-

tionem et intra paucos dies opus absolvitur. Initio operis nihil esse quod festinent monentur, ad opus tamen properabant quemadmodum filii (qui parentibus suppetias veniunt).

Cum Rex Ouen-ouang in septis sylvarum Lin- 282
yo dictis versaretur, videre gaudebat cervas cicuratas hominum conspectum nihil pavere, plures simul jacere, cervas pinguedine nitere; albas volucres sua albitudine et munditie oculos juvare. Erat etiam cum Rex ad stagnum pergeret plenum piscibus hic et illic subsultim in aqua ludentibus.

Abacus erat magnificus (cujus pars extrema denticulata), unde appensa erant instrumenta musica, magnum tympanum et campana. O quam gaudebat concentu musico tympani et campanae! o quam versari amabat in academiae et palaestrae Pi-yong dictae campo!

Tympanum et campana o quanto sonorum concentu pulsabantur! o quam juvabat in palaestrae et academiae campo proludere! Tympanum pelle piscis To dicti tensum sonum reddebat quanta harmonia! homines oculis capti musicam tractabant et moderabantur.

Ode 9.

Ouen (ouang) et Ou (ouang) ambo fuerunt 283
dynastiae Tcheou conditores. Gens illa inclyta alios ex aliis per saecla summo ingenio reges habuit. Tres principes de titulo Heou jam in coelo sedem habent suam; quibus (avis) certe dignus est Rex, cujus conspectu hic in aula fruimur.

Rex quo in aula fruimur, tantus Rex tantis avis certe dignus est. Id nempe studet ut majorum suorum virtutes imitetur, ut a recta ratione nunquam deflectens (summi rerum domini) imperio semper obtemperet, aequitatis et fidei observantissimus custos.

Aequitatis et fidei observantissimus suis praeit exemplo quod sequantur; ab obsequio erga majores et reverentia ipsis debita nunquam deflectere satagit, et ipsius erga avos pietas caeteris est norma vitaeque exemplar.

Unus ille vir suis in primis carissimus est quos virtute sua et clementia sibi devinxit; id agit sedulus ut suum avis suis obsequium testetur; et patrum suorum, in quorum locum successit, rebus gestis splendorem affert.

Nepotibus suis exemplo praelucet et patrum suorum vestigiis insistit; sic in mille mille annos regnabit coeli beneficio et imperii potietur.

Coeli beneficio imperium obtinuit et gentes undique ipsi gratulatum conveniunt. Qui dynastiae Tcheou imperium tueantur et fulciant in mille et mille annos neutiquam deerunt.

Ode 10.

Ouen-ouang clarissimus fuit, o quantum sibi nomen peperit! id egit nempe ut pacem populis et quietem pararet, rationes quaesivit quibus consilia sua ad exitus optatos perduceret; Ouen-ouang scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

Coeli auspiciis et summo beneficio, coelo ita jubente Ouen-ouang insignes de hostibus palmas retulit, et Regno Tsong debellato urbem construxit in regione Fong. Ouen-ouang scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

Moenia construxit, quae fossis accommodata essent, urbem condidit, quae cum moenibus apposite cohaereret. Non ipsius erat praeceps in agendo animus, sed

majorum suorum voluntati morem gerens avita consilia animo recolebat. Princeps ille scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

Regis merita praeclara et laudes eximiae maxime enituerunt in condenda urbe Fong: undequaque populi conveniebant, qui se ipsi dederent, quem regem spectabant ut columen suum et commune perfugium. Princeps ille scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

Amnis qui regionem Fong irrigat ad orientem fluit; quod factum est opera et industria (magni principis) Yu. Huc undequaque fit concursus hominum, qui augustum principem Regem salutant. Princeps augustus ille scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

In principis Ou-ouang urbe regia Hao dicta palaestrae et academiae locus erat Pi-yong dictus. Ab oriente et occidente, a borea et austro populi, quotquot erant, omnes Regis imperio parere volebant: Augustus princeps ille scilicet verus fuit populorum dominus et Rex.

Princeps rebus mature perpensis in Hao urbe regia sedem figere volens, et testudine auguria quaesivit, negotium a principe Ou-ouang opere completum est. Ou-ouang scilicet populorum dominus et Rex.

Regio Fong aquis irrigua fert etiam herbam Ki; quis principem Ou-ouang otiosum dicat? Nepotibus suis prospicientem et pii filii tranquillitati invigilantem. Ou-ouang scilicet populorum dominus et Rex.

Caput 2.

Ode 1.

Gens (Tcheou) inclyta originem trahit a muliere Kiang-yuen. Quid ita? cum sine liberis esset illa,

preces fundebat suas, sacrificiis nihil parcebat. In vestigio, quod rerum dominus et dominator (pedis sui) maximo digito impressum reliquerat, institit illa, et ecce intima praecordia, in spatioso loco ubi steterat, moveri sensit; inde concepit et in vicina domo substitit, ubi filium peperit, hunc scilicet Heou-tsi, unde gens Tcheou inclyta.

Uterum gerendi tempore expleto, primogenitum peperit, ut ovis agnum, sine labore, sine dolore, quin gemeret, quin pateretur; quod (nati) dotes eximias clare portendebat: scilicet quod summus rerum dominus et dominator facit, id omne sine labore facit et sacrificia accepta habet. Sic illa filium genuit.

Filium abjecit in angustum tramitem, bovesque, et oves infantulum proculcare parcentes ipsi adblandiebantur; in magnam sylvam abjecto puero occurrerunt homines qui ligna caedebant; hunc abjecit super glaciem; et volucres ipsum extentis alis protegebant; abierunt aves, tunc Heou-tsi vagire coepit, idque grandi voce, ita ut vias longe lateque vagitibus compleret.

Humi pedibus et manibus reptabat puer, jam longe grandior et robustior factus, ore cibum quaerebat; fabas colere coepit, et quas seruerat fabae, quas seruerat fruges, sive sesami, sive tritici segetes quam laetae, quam feraces in germina pullulabant; cucurbitarum magnarum et parvarum quanta luxuries!

Cum agriculturae Heou-tsi curam gereret, non deerant qui ipsius laborem adjuvarent. Hic autem cum agrum quibus scatebat herbis purgaverat hasque messuerat, tunc sementem bonam terrae mandabat, sed semina adhuc cruda, quorum gluma non dehisceret;

macerabat, et glumam dehiscere curabat; semina sic parata in terram mittebat, quae paulatim in germina exibant; germina autem in spicas surgebant, et spicae in grana abeuntes maturescebant, quae nihil jejunae sed omnino turgentes suo pondere deorsum vergebant: sic factum est ut ille in regione Taï domum et fundos habuerit.

Optima semina ad sementem distribuebat, varia scilicet milii et frumenti genera, alia Kiu dicta quae subnigra sunt, alia Pi quae in una gluma duo grana continent, alia Men quae subrubra sunt, alia Ki quae subalba. Quae colebat frumenta Kiu et Pi ea post messem in agro reposita servabat. Quae autem colebat frumenta Men et Ki ea humeris aut dorso imposita transvehebat, quibus uteretur in sacrificia. Quae fieri instituit et in oblationes.

Sic autem fiunt sacrificia, sic oblationes nostrae: frumenta pistillo proteruntur et protrita ex mortario accipiuntur, ventilantur et manibus diligentius atteruntur, aqua lavantur quae in vas effusa suum Seou-seou ingeminat, deinceps placentae fumo aquae ferventis et vapore decoquuntur. Dies seligitur, abstinemus et animum vitiis purgamus; adeps herbis odora accipitur et offertur; vervecem adhibemus ut Pe (spiritui) suus sit honos. Caro assatur, torretur; ut venturus annus post praesentem annum (felix) contingat.

Vasa alia Teou, alia Teng dicta implemus, et nidor dapum in aëra tollitur suaveolens; placetque honos ille summo rerum domino et dominatori, eumque acceptum habet; sed quid hic oblatorum nidorem et sacrificii faciendi tempus opportunum tantum commemoramus? ubi Heou-tsi ille sacrificia fieri instituit, populus nullo scelere vitam suam contaminavit, nihil

cujus poeniteret perpetravit, quod usque adhuc perseverat.

Ode 2.

Arceantur boves, arceantur oves ne juncos juxta viam confertim crescentes ungulis suis proterant. Jam sata gemmare incipiunt, jam densis esse foliis. Bene conveniat inter te et fratres tuos, nolite inter vos simultates gerere, cognatos tuos ne habeas ut extraneos, sed ut propinquos; ego autem cognatos meos considere jubeo, mensasque appono paroque convivium.

Celebratur convivium, omnia loco suo collocantur, qui mensas apponunt famuli alii ex aliis operam suam praestant; alii fercula ministrant, alii vina fundunt. Lavantur pocula, et lauta collocantur, carnes et juscula apponuntur; carnes aliae igni impositae torrentur, aliae verubus fixae assantur; optimae sunt dapes nempe quadrupedum jecur et rostrum; interea canit symphonia, alii concinunt, tympana pulsant alii.

Sunt arcus variis figuris in ligno incisis depicti, firmi illi quidem, et arcui suae sunt idoneae sagittae numero quatuor. Emittuntur sagittae quae scopum attingunt; hospitum et eorum solertiae fit delectus; arcus depictus, quam maxime tendi potest, tenditur, mittuntur quatuor sagittae, quae in scopo fixae manent et arrectae. Hospites autem intra modestiae fines se continent, neque unus alterum contemnit.

---

255. Tu qui caerimoniis et oblationibus praefuisti, dulci vino et optimo nos excepisti, magnum craterem ad bibendum nobis praebuisti. Multos vitae annos tibi apprecamur, aetatem grandaevam et prae senio dorsum simile piscis Taï dicti (rugis exaratum) precamur. At-

que utinam in senectute tua habeas, qui te euntem deducant et fulciant; te senem prospera comitentur, tibi seni splendida et ingens felicitas obtingat.

Ode 3. 286.

Multo vino indulgere nobis dedisti, ad satietatem beneficio tuo comedimus: o tu vir sapiens! aeternum vive, splendorem magnum, multa prospera sortiaris, precamur.

Largo vino nos excepisti; fercula tua nobis apposita sunt; o tu vir sapiens! aeternum vive, magnus sit splendor tuus, precamur.

Cum splendor tuus late omnia compleverit, splendidos dies tuos nullis tenebris, nulla macula obscuratos (mors sancta) sanctus finis subsequatur. Sancta mors quae te manet, jam initium habet (scilicet ab ea quam ducis vitam sanctam scelerisque puram); (qui in parentalibus personam mortui sustinet) puer Kong-chi dictus haec tibi fausta praenuntiat.

Quid tandem monet puer ille Kong-chi: vasa, inquit, Pien, Teou munda erant; convenerunt amici qui rem (parentalium) adjuvarent. Operam suam dederunt quanta majestate!

Hanc oris dignitatem certe postulabant temporum circumstantiae; tibi sunt, o vir sapiens, filii obsequiosi, magis magisque obsequiosi, tibique aeterna bona contingent.

Quae tandem bona consequitur ille? Scilicet domi suae ingentem splendorem, fulgens familiae decus et ornamentum. Vir sapiens aeternum vivat. Res fauste, feliciter, prospere ipsius filiis et nepotibus usque eveniant.

Qui tamen, o vir sapiens, tui futuri sunt nepotes ii erunt scilicet, quos coelum iisdem quibus te benefi- ciis cumulet. Aeternum vive; adsit tibi coelum, ne dubio favore te tuosque fortunet.

Quis tandem erit illi favor? Conjux tua sapiens mulier, sapiens mulier in uxorem tibi dabitur, ex qua tibi nascentur nepotes.

O d e 4.

259 Anates Fou, Y in amne Kin versantur. Puer Kong-chi venit ad convivium, et nos ex conspectu ejus recreamur. Purum est vinum, quo nos excipis, suaveolent dapes, quas nobis apponis, Puer Kong-chi convivatur et nobis evenient prospera.

Anates Fou, Y in arena aquis irrigua degunt. Puer Kong-chi venit ad epulas, et bene nobis est, quod veniat. Abunde nobis sufficis vinum, dapes nobis praebes luculentas. Convivatur puer Kong-chi resque nobis prospere evenient.

Anates Fou-Y in parvis insulis degunt. Puer Kong-chi jam pergit ad convivium; vina tua defaecata, cibi tui optimi; puer Kong-chi convivatur; ad nos bona et prospera descendent.

Anates Fou, Y in aqnis versantur. Puer Kong-chi convivium quod celebraturus venit summo honori ducit; in aedibus avorum memoriae dicatis convivatur; sic bona et prospera ab alto venient; adest convivio puer, et multa prospera consequemur.

Anates in aquarum torrente versantur. Puer Kong-chi venit et nos concordi animo laetamur. Optimo

vino recreamur; tostae carnes suavem spirant odorem; convivatur puer; neque ulla nobis adversa contingent.

Ode 5.

Princeps optimus et amantissimus virtutem suam profert, et palam facit, ad populorum commodum et hominum utilitatem et bonum; itaque a coelo beneficia insignia accipit; adest illi coelum imperiumque ejus tuetur; prospera illi a coelo iterum iterumque obtingunt.

Prospera percipit innumeraque percipit, nepotes nascituros non tot quin plures viros egregios, omnibus laudibus ornatos, potentes et splendidos, alios imperii dignos dynastas, alios imperatores meritissimos, qui ea virtute erunt, quae nihil peccati admittat, nihil incuriae; et in regendo ipsi antiquam doctrinam sequentur.

Vir eximius plenus est majestate et gravitate; virtute sua quantum sibi nomen peperit! officiorum suorum observantissimus; nullas simultates, odia gerit nulla, suis nihil diffidit, quorum securus opera utitur; felix, ejusque immensa felicitas; gentibus omnibus columen; ejusque ad nutum moventur omnia.

Gentes omnes quibus est columen, ad nutum ejus moventur, et in eo conquiescunt; magnatum suorum paci et quieti studet; varii Reguli imperiique administri eum imperatorem amant, muneris sui diligentes nihil socordiae nihil incuriae in se admittunt, sic populi pace summa fruuntur.

Ode 6.

Kong-lieou noster egregia virtute princeps nihil parcebat labori, nec delicias et quietem quaerebat: in re agraria et agrorum limitibus definiendis sedulus

frumenta in horrea congerebat. Placentas igne tostas in saccis utrimque aut uno extremo apertis reconditas servabat. Suorum quieti et splendori consulens arcu et sagittis paratis, cum lanceis et scutis, nec non securibus aliis longo, aliis brevi hastili, viae se commisit.

Egregia virtute Kong-lieou noster regionis illius campos inspexit, quos vidit magna hominum multitudine incoli, qui ibi tranquille, sine querela suos agebant dies; montes ascendit, nec deerant, qui montium verticem incolerent; in valles descendit ubi erant in colae. Quid secum ad latus gerebat ille? lapillos pretiosos et gemmas, vaginam variis ornamentis decoram, et ensem pulchre ornatum.

Egregia virtute Kong-lieou ad locum Pe-tsuen (centum fontium) dictum ivit, unde in vastos campos conjecit oculos; praerupto vertice montem, qui ad austrum positus est, conscendit, unde oculis deprehendit altum collem, ubi frequentes homines sedem fixerant suam, atque ita domos ibi construi curavit; aedes etiam construi voluit ad recipiendos hospites. Tunc ille coepit, quae recta sunt, populos docere, hominum dubia solvere, et difficilia sermone exponere.

Egregia virtute Kong-lieou in alto colle illo sedem fixit suam, ubi pace fruebatur; aulici ejus speciem plenam dignitatis prae se ferebant, quos convivio excipiebat, quibus mensas apponebat; illi autem convivantes (mensa) innixi (genio indulgebant securi); caulas et mapalia pastorum construxit; porcos ex caulis depromebat, cavam cucurbitam in poculum adhibebat; sic vescebatur ille, sic potabat; sic regnabat, sic dominabatur.

Egregia virtute Kong-lieou cum ejus ditio in longitudinem et latitudinem crevisset, situm loci (et quatuor mundi plagas) ope umbrae (solis) exploravit. Monticulum conscendit, unde in subjectas terras pateat aspectus, quas vidit alias calore solis apricas, alias calori solis minus pervias; regionem aspexit fontibus iriguam; ejus milites in tres turmas Tan dictas distributi sunt; agros alios in planitiem excurrentes, alios situ suo depressos demensus est. Rem agrariam et ex frugibus pendendum vectigal ita constituit; agrum quemlibet in novem partes partitus est, quarum quaevis centum jugeribus continebatur; ex novem illis pars media vectigali pendendo attributa, reliquae partes octo singulae singulis patribus familias assignatae, ita ut sumptibus suis et communi opera agrum publicum excolerent. Terras ad montis occasum positas disquisivit, et regionis Pin incolae viribus et numero eo magis invaluerunt.

Egregia virtute Kong-lieou aedes extruxit publicas ad hospites hospitio excipiendos; cymbas compegit ad amnem trajiciendum; lapides ex lapidicinis, ferrum ex fodinis accepit. Rectam regendi formam in regionem illam invexit; inde populus frequens, inde omnium rerum abundantia. Habitabant juxta rivum Hoang dictum, ex adverso rivi Ko; postea cum incolarum numerus mirum in modum crevisset, secundum amnem Ouï habitatores etiam fuerunt.

Ode 7.

Longe itur, et aqua ex rivo hauritur, quae ex vase in vas transfunditur; aquae autem ferventis vapor et fumus adhibetur ad vinum (ex oriza) conficiendum. Pacificus princeps est suorum pater, est suorum mater. 256.

Longe itur, et aqua ex rivo hauritur, quae transfunditur et lagenae terreae lavantur. Pacificus princeps suorum animos sibi devinxit.

Longe itur et aqua ex rivo hauritur, quae transfunditur et vasa abluuntur. Pacificus princeps pacem suorum et felicitatem procurat.

Ode 8.

Agger est terrae continuus et tortuosus, ubi flat auster. Pacificus princeps ibi deambulat, cantat et vocis suae modulos temperat.

Pro otio ambulas, otiaris animumque recreas. Princeps pacifice! atque utinam ad summam senectutem dies producas tuos, et majorum tuorum similis finem vitae consequaris.

Vasta sint regna, quae in imperii tui mappa delineantur, princeps pacifice! atque utinam ad summam senectam dies protrahas tuos, et spiritus omnes te regem agnoscant et praesidem.

Sit vita tua multos producta ad annos, sit tibi felicitas ingens et pax summa, princeps pacifice! atque utinam longaevus videas prospera quaeque, nullo malo admista et perpetua sit felicitas tua.

Secum habet quibus fidat viros probos, consiliorum suorum adjutores, qui pietatem erga parentes colant, qui virtute praecellant, qui ipsi eunti duces praeeant, qui ipsi adsint fideles administri. Pacificus princeps est exemplo quod ubique terrarum sequantur.

Quanta eris dignitate! splendor ejus gemmarum habet instar; hujus est magnum nomen, magnamque omnibus spem affert. Princeps pacificus is ille est, a quo salus omnium pendeat.

Avis Fong-hòang suas volando agitat alas per- 299.
strepitque aër; ubi insidet ibi remanet; adsunt imperatori frequentes praestantissimi et sapientissimi viri, quorum princeps opera utitur et quos imperator sibi addictos habet.

Avis Fong-hoang suas volando agitat alas, ciet strepitum et fertur in aëra. Imperator secum multos Praestantes viros qui regia jussa seduli facessunt, et populorum utilitati student.

Cantat avis Fong-hoang, et in collibus altioribus degit; crescit arbor Ou-tong in parte australi montis, quam densa arbor! o quam modulate cantat (avis Fong-hoang).

Principis currus multi, principis equi exercitati et veloces. Quae scripta sunt carmina, pauca quidem, sed sonis musicis apta sunt.

Ode 9.

Populum post multos labores susceptos jam tandem 301.
aliquantum quiescere oportet: in haec loca ubi sedes est imperii beneficia tua confer, et imperii totius paci et quieti consule, subdolos et adulatores coërce, improbos compesce, qui humanitatis obliti populum vexant, et pleni audaciae omnia audent, eos comprime. Qui procul absunt, eorum curam diligentem habeas, eos protegas; qui prope absunt, eos in officii finibus contineas; sic imperatoris solium confirmabitur.

Jam populum a tot tantisque quos suscepit laboribus paululum levari oportet. In haec loca, ubi sedes est imperii, beneficia tua confer et dissipatos populos congrega; subdolos et adulatores coërce, deblaterantium

ora comprime, qui in populos tyrannidem exercent, et eorum frena audaciam, noli populis esse labori. Meritorum tuorum et exantlatorum laborum memor, imperatori fidelis esto.

Jam populum quiescere oportet et a tantis aerumnis aliquantum recreari oportet; in haec loca, ubi sedes est imperii, beneficia tua confer, et varia imperii regna paci et tranquillitati redde. Subdolos et adulatores arbitrio suo permittere noli, qui modum non habent eos refraena. Tyrannos et in populum latrocinia exercentes coërce, cave, ne mali quae meditantur, consilia perficiant, decentiae et decori diligens esto, sic virtuti vicinus fies, et illa tibi erit brevis via ad virtutem.

Jam populi tot tantisque aerumnis aliquantum levaminis afferri par est. In haec loca ubi sedes est imperii beneficia tua confer, et a populo tot mala depelle. Homines vafros et adulatores suo arbitrio permittere noli, homines saevos et crudeles coërce. Qui in populum tyrannidem exercent, eos comprime; id age ne rectum pereat; tu puerulus licet, quae agis maxima sunt et gravissima.

Populi tantis malis aliquantum mederi debes; in haec loca ubi sedes est imperii benignitatem confer, et imperii regna exitio libera et immunia praestes. Homines subdolos et adulatores arbitrio suo relinquere noli, coërceatur assentatio; homines saevos qui in populum tyrannidem exercent compesce; id age ne rectum pereat et in pravum mutetur. Cum apud imperatorem in summo sis pretio, sic ego te pluribus monere et adhortari non dubito.

Ode 10.

Jam erga nos mutatus est ab eo qui erat summus rerum dominus et dominator. Jam plebs infima, quam maximis potest, conflictatur miseriis. Quidquid loquuntur insanum est et nefandum; jam futura minime prospiciunt. Nullus jam apparet vir integer et sapientia praestans, cui innitamur; et a nobis exulat probitas et fides. Cum nihil nisi praesens et obvium attendant et remota nihil provideant, certe tacendum non est; sed etiam atque etiam moneo ad quos pertinet.

Licet ego alio a vobis munere fungar, sumus tamen omnes amicitiae vinculo conjuncti, omnesque pares; quid igitur vos bene monens operam apud vos perdo, et quae a me auditis parvi penditis? quae loquor maximi sunt momenti, nolite irridere; haec est majorum nostrorum vox pervulgata: qui herbas in humeris gestant, ab iis (vili conditione hominibus) petere consilium ne dedigneris.

Jam a coelo imminet calamitas, jam non est locus jocis et ludis. Senex ego vera moneo, juventus autem superba me monentem spernit et consilia mea explodit. Nihil ego deliro; siccine ex rebus adeo tristibus materiam risui et ludo quaeritis? cum igne conflagraverint omnia, tum frustra remedium quaeretur.

Prope est, ut coelum iras suas in nos exerceat; jam magnificae ostentationi aut demissae adulationi locus non relinquitur; quae duo vitia eo devenere ut depravatis moribus rectus ordo invertatur, et qui sunt viri boni, ii sunt similes puero Chi in parentalibus. Suspirat et gemit populus, et in quanto versemur periculo cogitans, ab hac cogitatione refugit animus.

Omnia sus deque, miscentur omnia, perit imperium, cujus cladem lugemus quidem, sed nullus est qui populo salutem afferat.

Coelum nos docet, idque nullo negotio, quemadmodum facile est instrumenta musica Hiun et Tchi ita componere ut unius soni cum alterius sonis consentiant; quemadmodum insignia magnatum Tchang dicta, quae gerunt prae manibus, si unum alteri conjungantur insigne Kouei dictum repraesentant; quemadmodum facile est aliquid manu apprehendere, aliquid alicui afferre; ita facile coelum mortalium animos adducit, quod facit sine labore, quin conatum ullum adhibeat, ita facile erudit nos; sed homines ad vitia propensi sunt; sic noli per te ipse ad malum propendere, et pravae naturae novas vires addere.

Magnates et dynastae sunt Regi pro repagulo; populus pro muro; magna ditio pro septo; viri nobiles et sanguine regio principes pro imperii et publicae rei cardine; sed pax et tranquillitas imperii ex amore virtutis est repetenda. E stirpe regia principes sunt regi pro urbe munita; id cavendum in primis ne ruat urbs et arx illa. Non debet (Rex) sibi solus timere.

Coeli iram verearis, nolito securus voluptati te dedere, coeli mutatum animum verearis, nolito securus quam sequeris pergere viam. Coelum augustum perspicacissimum est, et quocumque exiveris huc te sequitur, ibique adest: coelum augustum summe intelligens ubicumque ambulaveris, huc sese confert, ibique adest praesens.

CAPUT 3.

Ode 1.

O quantus, quam amplissimus, est summus rerum dominus et dominatur, cujus dominationi homo sub-

jacet! quam tremendus, quam verendus est summus rerum dominus et dominator, cujus consilia (in perniciem nostram) maxime inclinant. Coelum hominibus vitam indidit, hujus tamen favori non (temere) fidendum. Omnes initium aliquod (virtutis nobis insitae) habemus; quotusquisque autem (virtutem illam inchoatam) opere complet et ad exitum perducit?

Olim princeps Ouen-ouang in suspiria erumpens sic dynastiam In aut Chang dictam (ejusque ultimum Regem) compellabat: o infelix dynastia! Qui fit ut, qui publicam rem administrant et rei imperii gerendae praepositi sunt, potestate sua in populorum perniciem adeo abutantur, crudeles tyranni populorum opes adeo exhauriant! et coelum non alios quam imbelles et virtute adeo tenui viros proferat! tu tibi tanta mala accersivisti hisque dux per te praeivisti.

Sic Ouen-ouang suspirans: heu tibi dynastiae In aut Chang (ultime) imperator, partes tuae erant proborum virorum opera uti; sed quos adhibes, ii potestate sua in perniciem publicam abutuntur; sic hominum invidiam incurristi, quae responsa dari curas, ea ad rem nihil faciunt; praedones et harpyiae in aula versantur, atque ita in maledicta et execrationes populus in te prorumpit, nullusque est finis horum malorum, modus nullus.

Sic Ouen-ouang suspirans: heu, heu tibi dynastiae In aut Chang (ultime) imperator! tu imperii damno magis magisque invalescis: virtuti ducis, quod omnium animos in te concitaveris. Cum virtutem excolere nihil cures, nullus a tergo, nullus tibi a latere

adest, cum virtutis studium negligas a fidelibus ministris et dignis praefectis destitutus es.

Sic Ouen-ouang dolore percitus: heu! heu tibi dynastiae In aut Chang imperator, tu contra coeli mandatum vino madidus, oris colore mutato, scelera perpetras. Tu in te ipse peccas, mane an vespere nihil curas, ebrius noctis vigilias agis et temporum vicibus inversis diem habes pro nocte.

Sic Ouen-ouang vehementi dolore commotus: heu! heu tibi dynastiae In aut Chang imperator, tu similis es cicadae, vel aquae bullientis; res imperii sive parvae, sive magnae ad proximam ruinam vergunt; homines tamen non aliam pergunt viam, neque ab incoepto desistunt; omnes in imperio indignantur, quorum in dies crescit indignatio; regnaque extera vel ipsa indignantur.

Sic Ouen-ouang: heu! heu tibi dynastiae In aut Chang (postreme) imperator! Summo rerum domino et dominatori sua sunt stata tempora. Sed In dynastiae imperator antiquitatem non adhibet. Esto, non sint tibi seniores et gravissimi viri, at enim non desunt leges et recta regiminis forma quam a majoribus traditam accepisti; quae cum omnia negligas, nihilque audias; imperio tuo ultimum imminet exitium et ingentem (coeli) favorem brevi amittes.

Sic Ouen-ouang dynastiae vestrae In aut Chang dictae sortem deplorabat: vox est trita, inquiebat, et pervagata quae ait: inclinata est arbor, jam cecidit, ejus radices avulsae, sed rami ejus et frondes adhuc illaesae remanent; prius autem ejus praecidentur radices: infelix dynastia, non a te procul aberat speculum,

dynastiae Hia scilicet imperator *), in quo tamquam in speculo prospicere potuisses.

Ode 2.

Oris species et ratio agendi gravis et honesta est virtutum conciliatrix et quasi vinculum. Vox est pervagata et in ore hominum frequens, haec scilicet: sapiens vel ipse desipit. Omnes (in aliquo) desipiunt et suos quisque patimur manes; hic est naturae nostrae morbus. Sapientia et stultitia, haec duo ita contraria, in homine inter se pariter certant.

Homine nihil majus, qui est pro exemplari in rerum universitate proposito. Virtus egregia et eminens gentium omnium animos sibi conciliat. Qui magna meditatur nec sibi sed bono publico consulit consilii sui tenax, qui in futura prospicit, et data occasione caeteros sapienter monet, qui speciem prae se gerit dignitatis plenam, cautus, et sui diligens, hunc ducem sequi, hunc imitari gaudent.

Sed tu, cui incumbit reipublicae cura, rempublicam perverse geris, omnia misces, quibus praestas dotibus, iis in malum uteris, te vino et crapulae dedis; qui fit ut libidini serviens tuos successores nihil cogites? Quidni reges antecessores (tuos) consulis quorum vestigiis insistas; et quam regiminis formam praecellentem tibi tradiderunt, quidni servas et retines?

Augustum coelum non fastidiose agit, quod tamen simile est aquae torrentis (ita facile malos in perniciem abripit); in hac aqua demerguntur et pereunt. Sive

*) Kie-ouang quem Tching-tang debellavit, et fuit dynastiae Hia ultimus.

surgas e lecto, sive nocte jaceas in lecto, sive aedes tuas aqua conspergas et verras, (in rebus levissimis) tu debes aliis praeire exemplo. (Quod ad magna pertinet) Currus et equos, arcus et sagittas, arma et gladios para et adorna, ad bellum futurnm te accinge, barbari Man (australes) procul arcendi.

Id age, ut populos tuos docendo perficias, juris et aequi et quae sunt tua Reguli propria officia eorum servantissimus esto; quae praeter opinionem accidere possunt, ea praecave. Quae loqueris eorum diligentiam adhibe, in tuo oris habitu nihil sit indecorum, omnia honesta et ad speciem composita sint. In omnibus humanitati stude. Si gemmae insit macula, laevigatur gemma et nativo splendori redditur. Si verbum perperam proferatur, nullus remedio locus relinquitur.

3/12 Ne sis in loquendo levis et inconsultus, noli incuriosus esse. (Si loquendo tibi ipse non praecaveris) Nullus est qui linguam tuam arripiat, et a loquendo contineat. Non sunt verba temere proferenda. Non est verbum (maxime principis) quod irritum cadat; non est virtus quae suam non habeat mercedem. Si amicos tuos bene tractaveris, populum et filios tuos tibi amore devinxeris, continua erit et perpetua nepotum tuorum progenies, et gentes omnes tibi addictae fient.

Cum in amici tui sapientis viri conspectum venies, nihil tetrici sit in vultu, sed benigne amicum excipe, id semper timens, ne quid pecces; cum domi versaberis ab hominum conspectu remotus, vel ipsum cubiculum et latebras tuas reverere, ne quidquam turpe in te admittas, dicens: res erit secreta, nec potest ab hominibus resciri, ab hominibus videri. Quo se spiritus con-

tulerit, et ubi adsit intime praesens, quis tandem sciat? Nunquid ille falli potest?

Tu dominus es et Rex, virtutem igitur colito, bonus esto, probus esto, tibi tuoque agandi modo invigila, id cave ne quid vitii in tua agendi ratione deprehendatur. In te nihil sit rationi dissonum; sic aliis praeibis exemplo, quod sequantur. Qui mihi mala persica dedit, huic pruna offero ut gratum animum significem. Qui vitulo aut agno cornua esse ait, ille profecto filiolos suos in errorem inducit: (et nulla sua virtute princeps, qui sibi suorum obsequia et amorem conciliare vellet, frustra operam perderet, quasi si in agno cornua quaereret).

Tenero et tortuoso arboris ramo serica fila circumvolvi possunt. Comitas, benignitas, et erga alios reverentia sunt virtutum fundamentum. (Sapientem et stultum inter, hoc interest discriminis) Sapienti do consilia, nec frustra, ille quod bonum est sequitur, stultus autem me monentem falsitatis accusat; homines ita sunt, quot capita, tot sensus.

Heu! filioli mei recta a pravis secernere nondum novistis. Ego vero vos monens, non vos tantum manu duco, sed singula moneo; non modo coram praecipio, sed ad verba mea vestras aures arrigi curo. Nunc si ignorantiam vestram causemini, (vana certe erit excusatio vestra) qui jam aetate adulta facti filios vestros in sinu fovetis. Quis tandem, modo non superbus, non sibi ipse sapiens, cum quid faciendum mane resciverit, ad vesperam usque rem perficere negligat?

Coelum augustum, perspicacissimum coelum, nos vitam infelicem ducimus. Cum vos ego vitium inter et

virtutem in bivio ancipites viderem, sollicito eram animo; nullam diligentiam non adhibui, ut vos erudirem et doctrinam inculcarem, sed me audire neglexistis; documenta nihili fecistis, immo inde materiam ludo et risui quaesivistis. Non est quod me inexpertum et inscium dicatis; quippe qui aetatem decrepitam attigi, et fere sum nonagenarius.

Heu! filioli mei; antiquam doctrinam vos docui; si monita mea impigre audiatis, et consilia mea sequamini, erit fortasse, ut a vobis malum ingens deprecemini. Sed jam a coelo nobis calamitates proxime instant; et a coelo regni hujus exitium imminet. Exemplum non longe est a nobis. Augustum coelum nihil errat, nihil fallitur; sed vos a recto deflectitis et prava sequimini; atque ita populum ad summas angustias adigitis.

Morus arbor erat tenera et densa, cujus frondes et rami umbra sua subjectam terram late protegebant. Jam ejus decerpuntur pallida et sine succo folia; qui sub hac arbore sunt, laboribus premuntur, eorum animus maerore usque conficitur, curis acerbissimis uritur, et dolor summus est. Coelum augustum quantus est splendor tuus! ecquid te nostri non capit miseratio?

Procedunt quadrigae, feroces eunt equi, alte sublata micant vexilla ventisque huc illuc agitantur. Jam omnia miscentur, ordo nullus servatur, nullumque regnum cui non afferatur exitium, quotquot sunt nigris capillis homines (i. e. Sinae) eorum omnium communis est pernicies. Heu! proh dolor! imperium pessimo est statu et in commune exitium praecipitat.

Jam de imperio conclamatum est. Jam coelum altere nos nihil curat. Ubi sedem figamus, ubi sistamus locus non est. Aufugere vis? quo tandem fugies? Certe non est sapientis contendere et rixari. Quis tandem ad haec mala gradum fecit, et quo devenimus, eo miseriae quis viam munivit?

Variis curis angitur et cruciatur animus, patriam meam cogitans, heu me infelicem, qui vitam adeo miseram vivo! Qui in coeli graves iras incidi; ab occasu ad ortum, quis tandem refugii locus? Ah! in quantas miserias deveni? Limites nostri in quantis angustiis versantur!

Fiunt quidem consultationes, cautiones adhibentur quidem, sed res imperii pejore in dies et deteriore fit statu. Quid patiamur moneris, quis (praefectorum et magistratuum) faciendus delectus doceris. Quis cum ferrum candens manu apprehenderit, non ad aquam properat, quo manum adustam injiciat? cum omnes ad naufragium certatim ruant, quomodo tantis malis mederi possunt?

Similes sunt homini, qui adverso vento incedens halitum vix trahere potest. Si quis prodire velit (malo remedium laturus), frustra vires adhibes, inquiunt omnes, (tantis malis nullus remedii locus). Jam agriculturae (quam regendo imperio) operam dare melius juvat; satius est, victum cum agricola ex agro colendo, quam e republica curanda quaerere. Agrorum cultura jam in pretio habetur, magisque placet, qui inde paratur victus.

Coelum calamitates infert, imperii perniciem molitur, a nobis evectum imperatorem ex solio deturbat, agros nostros locustis dat in praedam, pallent ubique

segetes nostrae. O infelix imperium Sinense, vastitatem et stragem tuam quis non defleat? Coeli auxilium implorare vellem; sed vires non suppetunt et onus est cui ferendo impares sunt humeri.

Rex benignus et clemens populorum spes et oculos ad se convertit, sibi attentus magnam consiliorum suorum diligentiam adhibet, ministrorum suorum in primis delectum habet. Rex autem iniquus sibi ipse sapiens est, sibique et vanae prudentiae praefidens eo tandem devenit ut statum imperii perturbet, et populorum a se omnino abalienet animum.

In mediam sylvam conjice oculos, ibi cervos binos et binos gregatim euntes cernere est. Sed jam nulla fides quae ab amicis ipsis exulat; et amicitia jam stat nulla. In ore hominum versatur sermo qui sic ait: ito, redito, ubique angustiae.

Vir sapientia praecellens remota prospicit et loquitur, multorum stadiorum intervallo dissita intuetur. Stultus autem vano gaudio se tradit. Possemus equidem multa bona monere, sed loqui timemus.

Qui sunt ejusmodi viri boni, eos non admittunt, neque eorum utuntur opera; inhumani autem et crudeles in pretio habentur, sic populi libidini suae servientes ad prava quaeque ultro feruntur; nihil non audent, et latrocinia usque exercent.

Vento vehementi sua est via quam percurrat, in amplis vallibus patet illi via: sic viri probi suam pergunt viam scilicet rationis leges sequuntur et virtutem excolunt. Improborum via obscura est et in sordibus suis vitiorumque sentina latitant.

Vento vehementi sua est via; qui libidini serviunt, sunt generis humani pernicies et pestis. Si me audiret, ego quidem loquerer, sed ad verba mea, nescio quid mussitat, eum ebrium diceres; quae bona consulo nihil sequitur, immo me ad insaniam adigit.

Amicorum vestrorum vicem doleo. Nunquid ille sum qui imperitus rem aggrediar? Capiendum exemplum ex similitudine avis quae volans aliquando sagitta attingitur, et etiam apprehenditur. Cum autem ego aequi bonique consulens accedo et te salubri umbra protego, tu feroci vultu minas mihi intentas.

Jam populus modum nescit. Fidem suam praedicant, cum pleni dolo et versipelles nectere technas non cessent. Aliis nocendi vias excogitant, id veriti, ne cogitata perficere minus possint. Populus in vitium trahitur, et in eo totus est, ut pejor in dies evadat.

Populis nondum pax et quies data est, quia imperium latronibus infestum est. Cum se bonos simulent, et quae mala geruntur se non probare dicant, versuti tamen et versipelles illi (bonos) probris et maledictis incessunt. Tu haec mea non probas quidem, et male te urit, quod haec scripserim carmina, sed te tuamque nequitiam jam cecinere alii.

Ode 4.

Quam late extenditur via lactea, toto coelo micat. Proh dolor! Imperator ait suspirans, quid tandem hujus aetatis homines in se admiserunt flagitii? Coelum in nos dire saevit, statum imperii perturbat, fame et inedia usque premimur, et alias ex aliis calamitates patimur. Nullus est, qui spiritui non sacrificet, qui victimis par-

eat. Sacrificii vasa Kouei et Pi frequeuti usu absumpta sunt. Qui fit autem ut vota nostra respuantur?

Arent agri ut nunquam magis: Siccus calor inest aëri et aër totus ignis est. Sacrificia et oblationes facere non cessamus. Ab urbis suburbiis ad regias aedes usque supra et infra oblata apponimus, loca omnia oblatis humi positis conferta sunt, nullusque est qui spiritui honorem non exhibeat: Nihil potest (familiae Tcheou auctor) Heou-tsi noster. Non adest nobis summus rerum dominus et dominator, qui has terras infimas delet proteritque; at enim qui fit, ut me in tanta infortunia detrudat?

Arent agri, ut nunquam magis; et siccitati medere non valemus. In tanto discrimine quantus timor, quantus est tremor noster! Fulmina inter et tonitrua versari videmur. Qui ex imperio Tcheou nostro supersunt nigris capillis homines (i. e. Sinae) ii dextro brachio capti sunt, et in figura hominis illi jam homines non reputandi. Augustum coelum qui est summus rerum dominus et dominator jam nobis perniciem parat et nobis interitum affert. Quomodo terror non nos invaderet? Avi nostri jam non sunt, extincti sunt.

Arent agri ut nunquam magis, nec levaminis spes ulla relinquitur. Arido calore tabescunt omnia. Haec una est omnium vox: quo tandem confugiemus, mors instat et nos brevi morituros fert suprema voluntas; ad quem respiciamus, cujus opem imploremus non habemus. In viris eximiis et primariis nulla nobis spes salutis. Parentes nostri, primi avi nostri, quomodo nos in haec mala detrudi tulerunt?

Arent agri ut numquam magis, nec superest arbor in montibus neque aqua in fluviis. Acriter saevit ariditatis daemon, quasi flamma urit nos, quasi ignis torret nos. Ab aëris aestu meus reformidat animus. Cru-

ciatur cor, et uritur, et aquae instar fervet. Quos habuimus viros eximios et primarios, illi nos non audiunt. Coelum augustum, summe rerum domine et dominator, o si hinc procul me amandari voluisses et me hinc fugere jussisses!

Arent agri ut nunquam magis: cum vix incedere possim, conatum tamen adhibeo hinc effugere quaerens; abire autem timeo (quia nullus perfugii locus). Quid est quod prae aëris inclementia et sicco calore tabescant languentium hominum corpora? necdum exitii nostri causam intelligo. Pro anno venturo sacrificia impigri fecimus, mundi plagarum spiritibus suus quoque fuit honos, non defuere sacrificia Che dicta pro frugum annona et in his peragendis moras non traximus, nihil procrastinavimus. Quid igitur augustum coelum sive summus rerum dominus et dominator jam nos ignorare, nihil nobis consultum esse velle adeo videtur? Quando quidem spiritus tanta intelligentia praecellat, et illi tantum honorem tribuerimus, quis irae et vindictae relinquitur locus?

Arent agri ut nunquam magis: omnia sus deque, huc et illuc dissipata, nullus imperii regendi ordo, nec boni regiminis superest umbra. Primarii praefecti vel ipsi in summis angustiis versantur, magnates morbis confecti. Qui equitatus regii curam gerunt, qui regis custodiae praeficiuntur, qui regis mensae ministrant et victum regium curant, ii omnes opem laturi minime parcunt labori, et quamvis frustra sit, cessare tamen nullus audet. Coelum augustum sive summum rerum dominum et dominatorem inclamantes suspiciunt, et labores suos et aerumnas conqueruntur.

Coelum suspicimus et in coelo apparent sidera micantia (nec spes ulla pluviae datur), magnates de titulo

Taï-fou et in imperio sapientes viri vota sua palam faciunt, sed tanta haec calamitas nihil incolume reliquit. Prope est, ut jubente coelo nos omnes exitio communi pereamus; ab incepto nihil tamen desistite, inter preces fundendas nolite mei privati boni rationem ducere, bonum publicum intendite. Ego praefectis imperii solatio esse quaerens, coelum augustum suspicio et inclamo; ah! quandonam nostri miserabitur et nobis salutem afferet?

Ode 5.

Quid montes Yo dictos altitudine vincit? Montium illorum cacumen ad coelos usque pertingit. Montibus Yo suus est spiritus, qui principum Fou et Chin natalibus praeesse voluit. Principes illi ambo sunt imperii Tcheou columen, sunt omnibus imperii regnis pro muro, et virtus eorum ubique celebratur.

Nihil parcit labori princeps Chin de titulo Pe; sic imperator eum in majorum titulos et munera succedere voluit, ditionis ejus sedem, regiam urbem in regione Sie esse jussit, ut princeps ille australis terrae regulis proponeretur ad exemplum. Viro principi Chao-pe edixit imperator ut iret aedesque regias principi Chin-pe construeret. Fuit illud in regione australi novum regnum, cujus haereditas ad posteros propter principis merita pertineret.

Principi Chin-pe edixit imperator ut in regione australi praeesset exemplo, ut regionis Sie incolarum opera urbis Yong dictae constructionem aggrederetur. Ab imperatore mandatum accipit princeps Chao-pe ut principis Chin-pe ditionis agros et limites definiret: novo regulo ministros assignavit et principis familiam eo demigrare jussit.

Principi Chin-pe merito suo, principis Chao-pe industria haec nova aedificia surgunt. A construendis urbis moenibus ducitur initium. Quae avorum memoriae dicantur aedium substructiones opere complentur; amplae illae quidem, et vasta sunt atria. Imperator principem Chin-pe quadriga donavit equis validis, quorum phalerae mirum in modum micant.

Imperator principem Chin-pe a se dimittens, quadriga Lou dicta, inquit, veheris in via, mecum cogitans quam tibi commodam habitationem attribuere possim; apud me statui non esse terras ubi melius habites quam australem plagam. Hoc a me munus accipe, scilicet (dignitatis tuae insigne) magnum Kouei; id tibi erit pro gemma. Ito, ne tamen longe a me iveris, tu imperatori avunculus australium regionum defensor esto.

Post multas itineris dilationes, jam proficisci certum est. Hunc euntem imperator honoris causa comitatur ad regionem Mæi. In terras australes peinceps Chin-pe revertitur, et in regionem Sie proficiscitur; imperatoris edicto Chao-pe vir princeps principis Chin-pe ditionem ejusque limites definivit, principis annonam et cibaria paravit et ejus iter acceleravit.

Heros noster regionem Sie alacriter ingreditur et quam multos habet in suo comitatu! Imperii Tcheou homines gratulando, o vos felices! inquiunt, virum sortiti estis qui vestrum erit columen et praesidium; principis Chin-pe quantus est splendor! imperatoris est primus avunculus, belli pacisque laudibus omnibus ornatus ceteris principibus praeit exemplo.

Chin-pe vir princeps placidis moribus, comis et benignus, ita tamen, ut recti tenax a recto nihil de

flectat. Omnium ubique animos demulcebit sibique devinciet, et in toto imperio ejus laudes celebrabuntur. Ki-fou (poëta) hoc cecinit carmen, nobile illud quidem, quod cantatum mirum in modum placet, (carmen hoc poëta Ki-fou scripsit) et principi Chin-pe venerabundus obtulit.

Ode 6.

Mortales omnes a coelo conditi et geniti sunt. Cuique rei sua est natura quam sequatur; hominis autem ea est natura, ut rectae rationis leges sequatur, ut virtutem amet et sectetur. Coelum gentem Tcheou inclytam intuetur, ipsi adest ab alto et addit splendorem; hunc coeli filium (imperatorem) tuetur, cujus in tutelam vir eximius Tchong-chan-fou a coelo procreatus est.

Tchong-chan-fou is ille est cujus virtus amantissima aliis est norma vivendi et regula, comis est et placidis moribus, attentus et diligens; quam a majoribus traditam habemus virtutis doctrinam, eam studiosus excolit, eamque in moribus suis apprime effingit. Quia imperatori in primis addictus est, imperator illius opera utitur ad edicta sua promulganda.

Imperator principem Tchong-chan-fou omnibus imperii regulis praeire exemplo voluit; voluit illum in patris et avi haereditatem venire, et imperatori esse praesidio. Quae ab imperatore accipit mandata, ad caeteros refert; et quae acta sunt post legum ab imperatore latarum promulgationem, ea vicissim monet imperatorem. Cum sit orator imperatoris ad populum, quae ad regimen imperii pertinent, ea foris declarat, et regis jussa nemo non facessit.

Graviora imperatoris edicta ad principem Tchong-chan-fou deferuntur. Quae in imperio geruntur, bene

an male, de iis fit certior, neque eum potest quidquam latere. Praestat ingenio ille, magnaque ejus perspicacitas ingenii. Sui ipsius diligens, sibique attentus diu noctuque impiger nihil parcit labori. Suamque uni viro (imperatori scilicet) cui unice addictus est dat operam.

Vox est trita et pervagata quae sic ait: tener cibus facile deglutitur; sed crudus aut durus evomitur; sed Tchong-chan-fou noster nec tenerum cibum deglutire nec durum evomere novit; scilicet pupillos et viduas, infimos et tenues non opprimit, summosque et potentes non reformidat.

Hoc est in proverbio: virtus habet instar pili, ita mollis est (ita virtutem colere facile est): quotusquisque autem virtutem colit, ego iterum atque iterum attendo, et ille Tchong-chan-fou noster quam strenue virtutem colit! hunc vellem nec possum sequi, et ejus praeclara consilia adjuvare. Quae peccat in suo munere draco (imperator), ea Tchong-chan-fou noster supplet.

Tchong-chan-fou noster ad sacrificium et oblationes exit; quadriga et valentibus equis vehitur. Milites ejus gradum accelerant, et ita properant quasi si ad statum locum pervenire minus possint. Quadrigae catervatim eunt, quarum octo tintinnabula agitata resonant. Imperator illi Tchong-chan-fou nostro edixit ut urbem in illa orientali plaga conderet.

Quadrigarum equi feroces; quae gerunt octo tintinnabula frequenti strepitu constrepunt. Tchong-chan-fou in Tsi regionem properat et reditum festinat. Poeta Ki-fou hanc scripsit cantilenam quae sit ad instar lenis et placidi venti. Cum Tchong-chan-

fou mentem habeat in eadem cogitatione defixam, hoc illi scribitur consolatorium carmen.

Ode 7.

O quantus est mons Leang-chan dictus, cui (magnus) Yu operam navavit suam! quae ad eum montem ducit via quam illustris. Ditionis Han dictae regulus mandatum ab imperatore dum acciperet, haec fuerunt ad illum imperatoris, qui per se ipse loquebatur, documenta. Tu in patrum tuorum haereditatem venito. Mandatorum meorum diligens esto. Diu noctuque impigre agito. Thronum tuum verearis; quae edico nihil mutari volo. Non me obsequii causa convenies, sed tuae ditioni invigila et mihi adjutor esto.

Procedit quadriga o quantis equis, quam exporrecto corpore! ditionis Han dictae regulus venit ad obsequium imperatori praestandum; convenit imperatorem et prae manibus tenet dignitatis suae insigne, sceptrum Kiai-kouei dictum. Haec sunt, quibus ab imperatore donatur, regia praemia; splendidum vexillum Tou dictum cum suis insignibus vexilli hastili appensis; storea subtili opere texta et mire depicta; rubri calcei, qui subnigra draconis figura insigniti sunt; equorum phalerae, antilenae et illae quidem caelato opere; tegumenta ex corio cum tigridum pellibus quae his tegumentis imponuntur; equorum capistra, postilenae, et fraeni ex auro.

Ditionis Han regulus iter capessens sacrificium facit, et in itinere ad regionem Tou dictam divertitur in hospitium. Imperii administri euntem principem honoris causa comitantur cum centum optimi vini lagenis; illius autem cibi sunt testudinis et recentis piscis elixae carnes; illius olera sunt bambuci tenera ger-

mina; et olus Pou dictum: munera quae principi offerunt sunt equi cum curru Lou dicto: plurima vasa Pien, vasa Teou dicta. Imperii reguli et principes se inter se oblectant.

Quam ditionis Han Regulus ducit uxorem, illius mater est regionis Fen dictae regis sanguine regio creta; illius pater est primarius imperii administer. Ditionis Han Regulus (novae uxori) it obviam in (soceri sui) imperii administri regionem; innumeros habet currus in comitatu et quanto apparatu! resonant curruum octo tintinnabula. O quanta magnificentia! o quantus splendor! nupta a sororibus suis (a puellis scilicet, quae de nomine sororum dicuntur) deducitur; quae nuptam comitantur puellae et matronae quanto numero! nubes illas esse diceres. Tantum apparatum intuetur princeps et palatii valvae (comitantium turba) complentur.

Imperii administer (nubentis puellae pater) virtute militari praestat; non est regnum quo non iverit ille; filiae suae nuptias conciliare quaerens, nullum in generum magis probavit quam ditionis Han regulum. Ditionis Han regio, felix terra; ubi fluvii et lacus ingentes et in fluviis et lacubus pisces Fang et Yu dicti magnitudine sua praecellunt; ubi vis magna cervarum; diversa specie ursos, tigrides et pardos alit haec terra. Amoena et apta quae habitaretur huic visa est regio, et magnatis filia ibi felices agit dies.

Ampla est quae in ditione Han constructa est civitas, cui operi fastigium imposuere regionis Yen incolae. Principis patres olim ab imperatore electi, cum inter varias barbarorum gentes Man dictas versarentur et in regione Han regnarent regnum Tchoui et reg-

num Me ab imperatore adhuc obtinuerunt; sic borealis regni potiti sunt et titulo Pe (Regulorum ducis) cohonestati sunt. Moenium et fossarum, agrorum et pendendi vectigalis curam adhibuerunt; et in tributum dantur ferae Pi dictae pelles, necnon rubri pardi et flavi ursi.

Ode 8.

324, Fluvii Kiang et Han suas eundo attollunt undas. Jam milites ad arma, ad arma; jam cessare, ambulando otiari non vacat. Contra barbaros Y dictos qui regionem Houai incolunt venimus. Jam prodeunt currus nostri, jam vexilla nostra ordinamus, nec mora jam quiescere, jam indulgere genio non licet; jam in barbarorum Y dictorum regionem Houai pervenimus, ubi aciem ordinamus.

Kiang et Han minaces fluvii et milites nostri feroces vultus prae se ferunt. Rem imperii ubique bene gestam ad imperatorem referunt. Pax et tranquillitas ubique imperio reddita et jam imperium confirmatum est, jam bellum nullum, sic imperatoris animus pace magna fruitur.

Ad Kiang et Han fluvii utriusque ripam ab imperatore delegatur princeps Chao-hou, cui imperator his verbis mandavit: commeatum ultro citroque facilem facias; terris meis sedulam des operam. Cautum est, ut ne populo quidquam incommodi crearetur, quidquam laboris afferretur; modo populus imperatoris et imperii legibus se subderet. Ordo in imperio restitutus est ad mare australe usque.

Ab imperatore delegatur princeps Chao-hou ut imperatoris edicta ubique et omnia promulget. (Sic

autem imperator ad principem:) Ouen-ouang, inquit, et Ou-ouang coeli mandato imperium olim obtinuerunt; et princeps Chao-kong ipsorum adjutor et imperii columen fuit. Nihil est quod tu ad me parvulum spectes; id unum agas, ut principem Chao-kong imiteris, si eo incumbas, tua de imperio praeclara erunt merita, et in dies majora fient; et praeclare tecum agetur.

Te hac (lance) Kouei dicta et hac patera donatum volo, tibi frumenta Kiu et vini Tchang dicti largior unam lagenam. Viros praecellentes certiores facio; tibi montes et agros concedo; et in regione Tcheou te inauguratum esse volui; haec illa est regio, ubi avus tuus princeps Chao vel ipse inauguratus est. Tunc princeps (Chao)-hou supplex genua flexit et capite terram feriens, mille, inquit, et mille vitae annos suae majestati apprecor.

Princeps Chao-hou ita venerabundus imperatorem salutavit, utque gratum significaret animum, imperatoris laudes celebravit. Aedes construxit, ubi avo suo Chao-kong parentaret, (et ubi haec verba insculpi voluit:) imperatori mille mille vitae anni, magnus sit splendor ejus et nomen immortale, pacis laudes excolat, omnium animos pacis amans sibi devinciat, et pacem ubique conciliet.

Ode 9.

Verendus, tremendus, clarissimus, et splendidissimus imperator sic ad imperii ministrum, tuus, inquit, proavus fuit Nan-tchong, tu titulo Taï-chi insignitus es et titulo Hoang-fou pariter gaudes; te sex exercitibus meis ducem praeficio; armorum meorum diligentem curam habeto. Tu soles vigilans, tu soles

attentus; terras australes de quibus nunc agitur benigne tractato.

In qui est imperatori a libellis supplicibus ab imperatore mandatum detulit ad Tching-pe-hiou-fou ut militum sinistri et dextri cornu curam in se susciperet, milites intra fines officii contineret, copias juxta regionem Houai et regionem Pou duceret, regionem Siu diligenter inspiceret, ne moras traheret, ne milites de via subsistere et morari pateretur, sed ut tria negotia omnino absolvi curaret.

Clarissimus, splendidissimus imperator coeli filius, quanta oris dignitate, majestate quanta! Non consilio praeceps, sed mature et considerate agit; non praepropere, nec tamen lente se gerit. Regio Siu aliis ex aliis jactatur motibus, contremiscit et trepidat; fulgura et tonitrua inter hanc versari diceres, tanto terrore et tremore corripiuntur regionis Siu incolae.

Imperator virtutis bellicae dans specimen suas tonare et furere videtur. Milites torvo aspectu quasi tigrides irruunt; juxta fluvium Houai dictum ordinantur acies, nec mora; vis magna curruum capitur, regionibus Houai et Pou commeatus intercluditur, quas regiones imperatoris exercitus occupat.

Imperatoris milites quanto sunt numero! hos volare diceres; quasi si alas gererent, similes sunt fluvii Kiang, similes fluvii Han, montis radices imitantur illi, aquam torrentem repraesentant; (talis exercitus) in unum corpus coalescit, neque abrumpitur, ordo ubique viget, rem belli evulgari non sinit, invictus est et victoriam de regno Siu insignem retulit.

Imperatoris virtus sincera et sine fuco; atque ita, quod regionis Siu populi venere, quod homines illi communi consilio sese imperatoris imperio subdiderent, hoc totum imperatoris virtuti adscribi par est. Jam cum ubique pacata sint omnia, cum regionis Siu homines imperatori obsequium suum testificaturi venerint, neque imperatoris imperium detrectent, scilicet abeundum est, inquit (imperator), redeundum est.

O d e 10.

In coelum augustum suspicimus, frustra autem, jam enim nobis beneficare negat. Diu est ex quo in miseriis jacemus afflicti; ingens est calamitas qua coelum nos plectit; nutat labatque imperium. Omnes sive litterati sive plebeii homines morbo et aerumnis conficimur. Qui segetes nostras absumunt (Eunuchi) vermes illi nos in has miserias vocaverunt, neque unquam nos patiuntur esse tranquillos. Legum laquei semper parati, nunquam non panduntur retia illa; neque ullum superest mali remedium.

Agros alienos tu invadis; qui alieno servitio addicti sunt, eos tui juris esse jubes; innocentes in crimen vocas et conjicis in vincula; facinorosos autem dimittis inultos.

Vir peritus moenia construxit et opere complevit; sed (male) perita mulier moenia evertit. (Pao-see concubina) Illa venusta et perita mulier avis Hiao, avis Tchi dici potest. Lingulaca et garrula mulier ad perniciem viam sternit, sunt illae scalae quibus ad exitium devenitur. Rerum pessimus status minime debet coelo adscribi; eum rerum statum in nos invexit mulier. Nullus documentis, nullus salutaribus monitis locus relinquitur, quamdiu erit mulier, quamdiu erunt Eunuchi.

Ejus farinae homines vafri et versipelles artibus suis alios ad angustias adigunt, bonorum perniciem moliuntur, semper mendaces sine modo deblaterant, et nequitiae eorum non est finis; si tamen eos audias, nihil peccant loquendo; in eo quid mali, inquiunt. Sapiens scit quidem institorem merces suas triplo majori pretio vendere, sed sapiens lucra non ligurit: cum mulieris partes non sint publicis negotiis vacare, nunc tamen mulier bombyces alendi, telam texendi proprium officium deseruit.

Quid est, quod coelum in nos animadvertat acriter, quod spiritus in nos beneficia et opes non conferat? Scilicet ille (imperator) de pestibus imperii, barbaris gentibus T'i dictis nihil curat. Me (aequi bonique consulentem) semovet et fastidit, calamitatibus nostris nihil movetur, majestatis regiae est immemor, pereunt homines, atque ita ruit imperium.

A coelo plectimur et calamitates tanquam totidem retia, unde non est effugium, nos undique circumstant. Omnes pereunt et in luctu tabescunt. Malorum laqueis, quibus a coelo premimur, constricti tenemur, instatque communis omnium exitus. Pereunt homines; et nos miseri lugemus.

Aquae scaturientes magno impetu, qua patet aditus, erumpunt et in altum gurgitem fluunt. Animus meus in malorum voragine fluctuans moerore confligitur, et quasi diffluit. Non recens est luctus noster, non hodie incepit neque hodie finietur; a me incepit, mecum finietur. Augustum coelum, inscrutabile coelum, nos labantes equidem confirmare potest. Sed tu (imperator) noli majoribus tuis esse dedecori, sic nepotes tuos servabis incolumes.

326.

Ode 11.

Coelum, quod misereri amat, jam maximo est terrori. Coelum quot quantasque calamitates infert; nos miseros affligit, fame et inedia premit; populi palantes et dispersi, intus et foris vastae sunt solitudines et deserti campi.

Coelum poenarum, quas a nobis repetit, laqueis nos irretitos tenet. Homines perditissimi, insecta illa animalia sunt imperii labes intestina, illi miscent omnia, inhumani perdunt omnia. Perversi illi homines jura omnia violant, penes quos tamen regimen imperii et auctoritas est.

Id genus homines incuriosi, superbi, maledici, obtrectatores, quorum flagitia non rescivit (imperator). Qui sumus seduli et prudentes, cauti et diligentes, nobis quietos esse minime licet, imo munere nostro et dignitatis gradu deturbamur.

Quemadmodum siccitatis tempore arescentes herbae crescere non valent; et sicut plantae aquatiles arboribus adrepentes exsuccae fiunt et aridae; sic perturbatur status imperii, imperiumque ut corpus exanime jacet.

Divites eramus, et alii ab iis qui hodie sumus. Res nunquam fuere deteriore statu. O si antiquus ille et felix rerum status pessimi hujus rerum status vicem obire posset! Irrita sunt vota mea, sic dolore conficior.

Aruit stagnum, aquis aliunde arcessitis eo non confluentibus. Fons aruit, ex visceribus terrae deficiente aqua; quae patimur augentur in dies. Cum tanta sit calamitas, quomodo in luctus publici partem minus venirem?

Prisci imperatores qui coelo jubente imperium obtinuerunt, imperii adjutorem Chao-kong principem habuerunt, cujus virtute imperii limites ulterius in dies proferebantur: nunc autem, proh dolor! angustius in dies imperium aliam ex alia jacturam accipit, quamquam etiamnum habemus a virtute majorum minime degeneres viros qui malis mederi possent.

LIBRI CLASSICI CARMINUM.

PARS IV.

DICTA SONG,

SIVE

PARENTALES CANTUS.

CAPUT 1.

DICTUM TCHEOU-SONG

SIVE

IMPERATORUM TCHEOU PARENTALES CANTUS.

ARTICULUS I.

Ode 1.

O quam recondita, quam munda sunt haec penetralia avorum nostrorum memoriae sacra! qui hic adsunt fungendis caerimoniis adjutores quantam diligentiam, quantum inter se animorum consensum prae se ferunt! quam multi, quam frequentes convenere sapientes! id agunt ut principis Ouen-ouang virtutes eximias in se repraesentent. In coelum ubi est (Ouen-ouang) fixum habent animum, dum in hac parentalium aula discurrunt. (Principis Ouen-ouang virtutes) Nunquid obscurae sunt? quis ipsius comitatem nescit? Nemini unquam fastidium peperit, sed omnium sibi devinxit animos.

Ode 2.

330, Coeli voluntas quam abdita et recondita, quam perpetua et constans! Ah! quis dicat hujus signa obscura dari? Ouen-ouang principis virtus quam spectata, hanc vitii nulla labes infecit.

Ah! si mihi faveret, ejus favor ad me pertineret, et (avum) meum Ouen-ouang secutus ego ejus virtutes et doctrinam reviviscere et florere curarem! atque ita longa esset nepotum series!

Ode 3.

Principis Ouen-ouang doctrina et regendi imperii forma pura illa et sincera, sibi ubique constans et clara; sic huic parentaturi venimus et has caerimonias aggressi in hoc officio peragendo diligentiam omnem adhibuimus. Illa haec est familiae Tcheou regiae laus praeclara.

Ode 4.

331, O vos splendidi viri, clarissimi Reguli, vestrae virtuti tot bona quibus fruor accepta refero; felicitas mea vestro beneficio perpetua erit et constans; et ad nepotes meos, quos incolumes praestabitis, pertinebit.

Modestiae leges retinete, et ditionis vestrae divitiis inhiare parcite, sic imperatori eritis in pretio et imperator meritorum vestrorum usque memor nepotes vestros in patrum haereditatem venire curabit.

Viro illo (Ouen-ouang) nihil praestantius, ille ubique sit pro magistro. Virtute (illius) nihil splendidius, ad hanc normam Reguli omnes et dynastae mores suos informari curent. Qui antecesserunt imperatorum o nunquam delebitur memoria!

Ode 5.

Mons ille excelsus a coelo factus est; ibique olim jura dabat princeps Taï-ouang, qui cum omnia rite

cemposuisset, princeps Ouen-ouang magnam pacem consecutus est. Praeruptus est mons ille Ki dictus ubi tamen via patuit plana et facilis. Haec nepotum eadem cura fuit, idem studium.

Ode 6.

Rata et stata erant augusti coeli consilia, eaque ad utrumque principem pertinebant. Tching-ouang imperator de studio suo et vigilantia nihil remittere ausus nullum socordiae locum relinquebat, usque attentus a mane ad vesperam id agebat, ut coeli gratiam inscrutabilem et reconditam, quam majores sui genti suae pepererant, retineret. O quam diligens erat et studiosus aviti splendoris! eo collimabant omnia ejus animi studia; sic summa pace ille imperii potitus est.

Ode 7.

Quod profero, quod offero sunt oves, sunt boves. 332
Quantum spero, coelum hic nobis dextrum adest.

Quam a Ouen-ouang traditam accepimus regiminis formam et doctrinam hanc sequimur, ad hanc regulam nos nostraque dirigimus, inde pax magis in dies ubique regnat; hujus nostrae felicitatis auctor Ouen-ouang nobis dexter adest.

A mane ad vesperam coeli majestatem vereor, sic mihi invigilo sedulus.

Ode 8.

Jam tempus est cum (imperator) varia imperii regna 333
peragret. Coelum augustum nonne hunc ut filium suum tuetur et custodit?

Vere huic favens hunc in Tcheou imperium succedere voluit; quanta est ipsius majestas! cujus ad levissimum motum terror animis incutitur. In spiritus

omnes pius est, adsunt in fluviis et altis montibus Yo dictis et ibi convenere. Imperator verus est dominus.

Tcheou gentis inclytae splendor ingens. Qui in solio sedet hujus vigent leges. Jam lanceas et scuta collegit, arcus et sagittas recondidit. Jam, inquit, eo spectant animi totius mei studia, ut virtutem colam. Hanc suam voluntatem notam vult esse omnibns in imperio Sinensi; sic imperium imperator rite conservat et tuetur.

Ode 9.

Sibi usque attentus, sibique ipse invigilans Ou-ouang imperator, cujus praeclaris meritis nihil aequiparari potest. Tching-ouang et Kang-ouang nonne etiam fuerunt magno splendore imperatores quos summus rerum dominus et dominator ad solium evexit, et reges esse voluit.

A tempore imperatorum Tching et Kang-ouang ab ortu, ad occasum, a borea ad austrum quidquid est regionis, id totum Sinensi parebat imperio. O quam illustre utriusque imperatoris nomen!

Campanarum et tympanorum magnus fit concentus, magnus concentus fistularum et instrumentorum King dictorum; et bona multa nobis coelitus obveniunt.

Alia ex aliis bona nobis coelitus obvenere, et nihilo segniores nobis ipsi praecavemus, diligentiamque adhibemus. Vino incalescimus, ad satietatem comedimus, nec bona cessant in nos confluere.

Ode 10.

334. Quae pacis sunt laudibus omnibus ornatus Heou-tsi potest coeli secundarius haberi. Quibus vescimur fruges ipsius summa virtute et industria partas habemus.

Quod ille nobis reliquit triticum et hordeum, illud nobis aequaliter distribui, et inde nos ali jubet rerum dominus et dominator, idque sine regionum discrimine; id agitur autem, ut ubique in imperio officia vigeant et rectae rationis leges.

Caput 1. — Articulus II.

Ode 1.

Agite dum magnates, in imperio praefecti, muneris vestri diligentes estote; imperator merita vestra non sine praemio abire patitur; sic quae sunt officii vestri venite investigaturi, consultaturi venite.

Agite dum vos praefecti qui agrum quem imperator arat Pao-kie dictum curatis, jam exeunte vere quid expectatis? Culta novalia quomodo habent? Hordei et tritici segetes quam optimo sunt statu: Flavescentes illas prope est ut colligamus. Summus rerum dominus et dominator sapientiae suae collustrans omnia messem uberrimam parat. Agricolis nostris edicite ut aratrum et sarculum adornent. Non ita multo post falce messem metent.

Ode 2.

O quam dilucide Tching-ouang imperator vos docuit. Rei agrariae praefectos constituit, omnis generis sementem in terram mitti voluit, vos jussit suum privatum agrum quemque diligenter colere, in quolibet agro qui triginta stadiis definitur strenuam operam insumi voluit, et in morem perduxit ut decem millia agricolarum qui agris vestris dant operam, bini et bini ararent.

Ode 3.

Aves Lou-see turmatim volant et in lacu ad occidentem subsidunt. Qui advenerunt hospites nostri,

num Me ab imperatore adhuc obtinuerunt; sic borealis regni potiti sunt et titulo Pe (Regulorum ducis) cohonestati sunt. Moenium et fossarum, agrorum et pendendi vectigalis curam adhibuerunt; et in tributum dantur ferae Pi dictae pelles, necnon rubri pardi et flavi ursi.

Ode 8.

Fluvii Kiang et Han suas eundo attollunt undas. Jam milites ad arma, ad arma; jam cessare, ambulando otiari non vacat. Contra barbaros Y dictos qui regionem Houai incolunt venimus. Jam prodeunt currus nostri, jam vexilla nostra ordinamus, nec mora jam quiescere, jam indulgere genio non licet; jam in barbarorum Y dictorum regionem Houai pervenimus, ubi aciem ordinamus.

Kiang et Han minaces fluvii et milites nostri feroces vultus prae se ferunt. Rem imperii ubique bene gestam ad imperatorem referunt. Pax et tranquillitas ubique imperio reddita et jam imperium confirmatum est, jam bellum nullum, sic imperatoris animus pace magna fruitur.

Ad Kiang et Han fluvii utriusque ripam ab imperatore delegatur princeps Chao-hou, cui imperator his verbis mandavit: commeatum ultro citroque facilem facias; terris meis sedulam des operam. Cautum est, ut ne populo quidquam incommodi crearetur, quidquam laboris afferretur; modo populus imperatoris et imperii legibus se subderet. Ordo in imperio restitutus est ad mare australe usque.

Ab imperatore delegatur princeps Chao-hou ut imperatoris edicta ubique et omnia promulget. (Sic

autem imperator ad principem:) Ouen-ouang, inquit, et Ou-ouang coeli mandato imperium olim obtinuerunt; et princeps Chao-kong ipsorum adjutor et imperii columen fuit. Nihil est quod tu ad me parvulum spectes; id unum agas, ut principem Chao-kong imiteris, si eo incumbas, tua de imperio praeclara erunt merita, et in dies majora fient; et praeclare tecum agetur.

Te hac (lance) Kouei dicta et hac patera donatum volo, tibi frumenta Kiu et vini Tchang dicti largior unam lagenam. Viros praecellentes certiores facio; tibi montes et agros concedo; et in regione Tcheou te inauguratum esse volui; haec illa est regio, ubi avus tuus princeps Chao vel ipse inauguratus est. Tunc princeps (Chao)-hou supplex genua flexit et capite terram feriens, mille, inquit, et mille vitae annos suae majestati apprecor.

Princeps Chao-hou ita venerabundus imperatorem salutavit, utque gratum significaret animum, imperatoris laudes celebravit. Aedes construxit, ubi avo suo Chao-kong parentaret, (et ubi haec verba insculpi voluit:) imperatori mille mille vitae anni, magnus sit splendor ejus et nomen immortale, pacis laudes excolat, omnium animos pacis amans sibi devinciat, et pacem ubique conciliet.

Ode 9.

Verendus, tremendus, clarissimus, et splendidissimus imperator sic ad imperii ministrum, tuus, inquit, proavus fuit Nan-tchong, tu titulo Taï-chi insignitus es et titulo Hoang-fou pariter gaudes; te sex exercitibus meis ducem praeficio; armorum meorum diligentem curam habeto. Tu soles vigilans, tu soles

attentus; terras australes de quibus nunc agitur benigne tractato.

In qui est imperatori a libellis supplicibus ab imperatore mandatum detulit ad Tching-pe-hiou-fou ut militum sinistri et dextri cornu curam in se susciperet, milites intra fines officii contineret, copias juxta regionem Houai et regionem Pou duceret, regionem Siu diligenter inspiceret, ne moras traheret, ne milites de via subsistere et morari pateretur, sed ut tria negotia omnino absolvi curaret.

Clarissimus, splendidissimus imperator coeli filius, quanta oris dignitate, majestate quanta! Non consilio praeceps, sed mature et considerate agit; non praepropere, nec tamen lente se gerit. Regio Siu aliis ex aliis jactatur motibus, contremiscit et trepidat; fulgura et tonitrua inter hanc versari diceres, tanto terrore et tremore corripiuntur regionis Siu incolae.

Imperator virtutis bellicae dans specimen suae tonare et furere videtur. Milites torvo aspectu quasi tigrides irruunt; juxta fluvium Houai dictum ordinantur acies, nec mora; vis magna curruum capitur, regionibus Houai et Pou commeatus intercluditur, quas regiones imperatoris exercitus occupat.

Imperatoris milites quanto sunt numero! hos volare diceres; quasi si alas gererent, similes sunt fluvii Kiang, similes fluvii Han, montis radices imitantur illi, aquam torrentem repraesentant; (talis exercitus) in unum corpus coalescit, neque abrumpitur, ordo ubique viget, rem belli evulgari non sinit, invictus est et victoriam de regno Siu insignem retulit.

Imperatoris virtus sincera et sine fuco; atque ita, quod regionis Siu populi venere, quod homines illi communi consilio sese imperatoris imperio subdideret, hoc totum imperatoris virtuti adscribi par est. Jam cum ubique pacata sint omnia, cum regionis Siu homines imperatori obsequium suum testificaturi venerint, neque imperatoris imperium detrectent, scilicet abeundum est, inquit (imperator), redeundum est.

Ode 10.

In coelum augustum suspicimus, frustra autem, jam enim nobis beneficare negat. Diu est ex quo in miseriis jacemus afflicti; ingens est calamitas qua coelum nos plectit; nutat labatque imperium. Omnes sive litterati sive plebeii homines morbo et aerumnis conficimur. Qui segetes nostras absumunt (Eunuchi) vermes illi nos in has miserias vocaverunt, neque unquam nos patiuntur esse tranquillos. Legum laquei semper parati, nunquam non panduntur retia illa; neque ullum superest mali remedium.

Agros alienos tu invadis; qui alieno servitio addicti sunt, eos tui juris esse jubes; innocentes in crimen vocas et conjicis in vincula; facinorosos autem dimittis inultos.

Vir peritus moenia construxit et opere complevit; sed (male) perita mulier moenia evertit. (Pao-see concubina) Illa venusta et perita mulier avis Hiao, avis Tchi dici potest. Lingulaca et garrula mulier ad perniciem viam sternit, sunt illae scalae quibus ad exitium devenitur. Rerum pessimus status minime debet coelo adscribi; eum rerum statum in nos invexit mulier. Nullus documentis, nullus salutaribus monitis locus relinquitur, quamdiu erit mulier, quamdiu erunt Eunuchi.

Ejus farinae homines vafri et versipelles artibus suis alios ad angustias adigunt, bonorum perniciem moliuntur, semper mendaces sine modo deblaterant, et nequitiae eorum non est finis; si tamen eos audias, nihil peccant loquendo; in eo quid mali, inquiunt. Sapiens scit quidem institorem merces suas triplo majori pretio vendere, sed sapiens lucra non ligurit: cum mulieris partes non sint publicis negotiis vacare, nunc tamen mulier bombyces alendi, telam texendi proprium officium deseruit.

Quid est, quod coelum in nos animadvertat acriter, quod spiritus in nos beneficia et opes non conferat? Scilicet ille (imperator) de pestibus imperii, barbaris gentibus Ti dictis nihil curat. Me (aequi bonique consulentem) semovet et fastidit, calamitatibus nostris nihil movetur, majestatis regiae est immemor, pereunt homines, atque ita ruit imperium.

A coelo plectimur et calamitates tanquam totidem retia, unde non est effugium, nos undique circumstant. Omnes pereunt et in luctu tabescunt. Malorum laqueis, quibus a coelo premimur, constricti tenemur, instatque communis omnium exitus. Pereunt homines; et nos miseri lugemus.

Aquae scaturientes magno impetu, qua patet aditus, erumpunt et in altum gurgitem fluunt. Animus meus in malorum voragine fluctuans moerore confligitur, et quasi diffluit. Non recens est luctus noster, non hodie incepit neque hodie finietur; a me incepit, mecum finietur. Augustum coelum, inscrutabile coelum, nos labantes equidem confirmare potest. Sed tu (imperator) noli majoribus tuis esse dedecori, sic nepotes tuos servabis incolumes.

Ode 11.

Coelum, quod misereri amat, jam maximo est terrori. Coelum quot quantasque calamitates infert; nos miseros affligit, fame et inedia premit; populi palantes et dispersi, intus et foris vastae sunt solitudines et deserti campi.

Coelum poenarum, quas a nobis repetit, laqueis nos irretitos tenet. Homines perditissimi, insecta illa animalia sunt imperii labes intestina, illi miscent omnia, inhumani perdunt omnia. Perversi illi homines jura omnia violant, penes quos tamen regimen imperii et auctoritas est.

Id genus homines incuriosi, superbi, maledici, obtrectatores, quorum flagitia non rescivit (imperator). Qui sumus seduli et prudentes, cauti et diligentes, nobis quietos esse minime licet, imo munere nostro et dignitatis gradu deturbamur.

Quemadmodum siccitatis tempore arescentes herbae crescere non valent; et sicut plantae aquatiles arboribus adrepentes exsuccae fiunt et aridae; sic perturbatur status imperii, imperiumque ut corpus exanime jacet.

Divites eramus, et alii ab iis qui hodie sumus. Res nunquam fuere deteriore statu. O si antiquus ille et felix rerum status pessimi hujus rerum status vicem obire posset! Irrita sunt vota mea, sic dolore conficior.

Aruit stagnum, aquis aliunde arcessitis eo non confluentibus. Fons aruit, ex visceribus terrae deficiente aqua; quae patimur augentur in dies. Cum tanta sit calamitas, quomodo in luctus publici partem minus venirem?

Prisci imperatores qui coelo jubente imperium obtinuerunt, imperii adjutorem Chao-kong principem habuerunt, cujus virtute imperii limites ulterius in dies proferebantur: nunc autem, proh dolor! angustius in dies imperium aliam ex alia jacturam accipit, quamquam etiamnum habemus a virtute majorum minime degeneres viros qui malis mederi possent.

LIBRI CLASSICI CARMINUM.

PARS IV.

DICTA SONG,

SIVE

PARENTALES CANTUS.

CAPUT 1.

DICTUM TCHEOU-SONG

SIVE

IMPERATORUM TCHEOU PARENTALES CANTUS.

ARTICULUS I.

Ode 1.

O quam recondita, quam munda sunt haec penetralia avorum nostrorum memoriae sacra! qui hic adsunt fungendis caerimoniis adjutores quantam diligentiam, quantum inter se animorum consensum prae se ferunt! quam multi, quam frequentes convenere sapientes! id agunt ut principis Ouen-ouang virtutes eximias in se repraesentent. In coelum ubi est (Ouen-ouang) fixum habent animum, dum in hac parentalium aula discurrunt. (Principis Ouen-ouang virtutes) Nunquid obscurae sunt? quis ipsius comitatem nescit? Nemini unquam fastidium peperit, sed omnium sibi devinxit animos.

Ode 2.

330, Coeli voluntas quam abdita et recondita, quam perpetua et constans! Ah! quis dicat hujus signa obscura dari? Ouen-ouang principis virtus quam spectata, hanc vitii nulla labes infecit.

Ah! si mihi faveret, ejus favor ad me pertineret, et (avum) meum Ouen-ouang secutus ego ejus virtutes et doctrinam reviviscere et florere curarem! atque ita longa esset nepotum series!

Ode 3.

Principis Ouen-ouang doctrina et regendi imperii forma pura illa et sincera, sibi ubique constans et clara; sic huic parentaturi venimus et has caerimonias aggressi in hoc officio peragendo diligentiam omnem adhibuimus. Illa haec est familiae Tcheou regiae laus praeclara.

Ode 4.

331, O vos splendidi viri, clarissimi Reguli, vestrae virtuti tot bona quibus fruor accepta refero; felicitas mea vestro beneficio perpetua erit et constans; et ad nepotes meos, quos incolumes praestabitis, pertinebit.

Modestiae leges retinete, et ditionis vestrae divitiis inhiare parcite, sic imperatori eritis in pretio et imperator meritorum vestrorum usque memor nepotes vestros in patrum haereditatem venire curabit.

Viro illo (Ouen-ouang) nihil praestantius, ille ubique sit pro magistro. Virtute (illius) nihil splendidius, ad hanc normam Reguli omnes et dynastae mores suos informari curent. Qui antecesserunt imperatorum o nunquam delebitur memoria!

Ode 5.

Mons ille excelsus a coelo factus est; ibique olim jura dabat princeps Taï-ouang, qui cum omnia rite

cemposuisset, princeps Ouen-ouang magnam pacem consecutus est. Praeruptus est mons ille Ki dictus ubi tamen via patuit plana et facilis. Haec nepotum eadem cura fuit, idem studium.

Ode 6.

Rata et stata erant augusti coeli consilia, eaque ad utrumque principem pertinebant. Tching-ouang imperator de studio suo et vigilantia nihil remittere ausus nullum socordiae locum relinquebat, usque attentus a mane ad vesperam id agebat, ut coeli gratiam inscrutabilem et reconditam, quam majores sui genti suae pepererant, retineret. O quam diligens erat et studiosus aviti splendoris! eo collimabant omnia ejus animi studia; sic summa pace ille imperii potitus est.

Ode 7.

Quod profero, quod offero sunt oves, sunt boves. 332.
Quantum spero, coelum hic nobis dextrum adest.

Quam a Ouen-ouang traditam accepimus regiminis formam et doctrinam hanc sequimur, ad hanc regulam nos nostraque dirigimus, inde pax magis in dies ubique regnat; hujus nostrae felicitatis auctor Ouen-ouang nobis dexter adest.

A mane ad vesperam coeli majestatem vereor, sic mihi invigilo sedulus.

Ode 8.

Jam tempus est cum (imperator) varia imperii regna peragret. Coelum augustum nonne hunc ut filium suum tuetur et custodit? 333.

Vere huic favens hunc in Tcheou imperium succedere voluit; quanta est ipsius majestas! cujus ad levissimum motum terror animis incutitur. In spiritus

omnes pius est, adsunt in fluviis et altis montibus Yo dictis et ibi convenere. Imperator verus est dominus.

Tcheou gentis inclytae splendor ingens. Qui in solio sedet hujus vigent leges. Jam lanceas et scuta collegit, arcus et sagittas recondidit. Jam, inquit, eo spectant animi totius mei studia, ut virtutem colam. Hanc suam voluntatem notam vult esse omnibns in imperio Sinensi; sic imperium imperator rite conservat et tuetur.

Ode 9.

Sibi usque attentus, sibique ipse invigilans Ou-ouang imperator, cujus praeclaris meritis nihil aequiparari potest. Tching-ouang et Kang-ouang nonne etiam fuerunt magno splendore imperatores quos summus rerum dominus et dominator ad solium evexit, et reges esse voluit.

A tempore imperatorum Tching et Kang-ouang ab ortu, ad occasum, a borea ad austrum quidquid est regionis, id totum Sinensi parebat imperio. O quam illustre utriusque imperatoris nomen!

Campanarum et tympanorum magnus fit concentus, magnus concentus fistularum et instrumentorum King dictorum; et bona multa nobis coelitus obveniunt.

Alia ex aliis bona nobis coelitus obvenere, et nihilo segniores nobis ipsi praecavemus, diligentiamque adhibemus. Vino incalescimus, ad satietatem comedimus, nec bona cessant in nos confluere.

Ode 10.

334. Quae pacis sunt laudibus omnibus ornatus Heou-tsi potest coeli secundarius haberi. Quibus vescimur fruges ipsius summa virtute et industria partas habemus.

Quod ille nobis reliquit triticum et hordeum, illud nobis aequaliter distribui, et inde nos ali jubet rerum dominus et dominator, idque sine regionum discrimine; id agitur autem, ut ubique in imperio officia vigeant et rectae rationis leges.

CAPUT 1. — ARTICULUS II.

Ode 1.

Agite dum magnates, in imperio praefecti, muneris vestri diligentes estote; imperator merita vestra non sine praemio abire patitur; sic quae sunt officii vestri venite investigaturi, consultaturi venite.

Agite dum vos praefecti qui agrum quem imperator arat Pao-kie dictum curatis, jam exeunte vere quid expectatis? Culta novalia quomodo habent? Hordei et tritici segetes quam optimo sunt statu: Flavescentes illas prope est ut colligamus. Summus rerum dominus et dominator sapientiae suae collustrans omnia messem uberrimam parat. Agricolis nostris edicite ut aratrum et sarculum adornent. Non ita multo post falce messem metent.

Ode 2.

O quam dilucide Tching-ouang imperator vos docuit. Rei agrariae praefectos constituit, omnis generis sementem in terram mitti voluit, vos jussit suum privatum agrum quemque diligenter colere, in quolibet agro qui triginta stadiis definitur strenuam operam insumi voluit, et in morem perduxit ut decem millia agricolarum qui agris vestris dant operam, bini et bini ararent.

Ode 3.

Aves Lou-see turmatim volant et in lacu ad occidentem subsidunt. Qui advenerunt hospites nostri,

illorum oris habitus cum illis avibus bene confertur (et illarum nitorem imitatur).

Cum ibi versantur, hominum odia in se non concitant. Cum hic adsunt, aliis fastidium non pariunt; diu noctuque eo incumbunt animum, ut nomen suum immortalitati commendent.

Ode 4.

335 Opimas hoc anno messes, vim magnam milii et orizae collegimus, alta sunt horrea nostra, et modiorum frumenti decem millibus, centum millibus, mille millibus impleta sunt. Inde vinum concinnabimus, inde vina fundemus, quae in avorum et aviarum parentalibus apponemus. His quibuslibet caerimoniis nihil deerimus, omnia peragemus, et omnia bona nobis coelitus devenient.

Ode 5.

336 Caeci (i. e. musici) adsunt, caeci adsunt in imperatoris Tcheou nostri aedibus regiis.

Collocatur abacus Ye-kiu dictus, dentatus, plumis fixis ornatus. Tympana sive parva, sive magna suspenduntur; instrumenta musica Tao, King, Tchou, Yu parata omnia, et musicus fit concentus. Multis calamis compactae cicutae et fistulae proludentes concinunt.

Musicis sonis aedes resonant. Magnus sonorum concentus quam modulate aures audientium pulsat! Avos nostros juvat hunc concentum audire. Qui venerunt hospites nostri ad finem usque adsunt, et omnia considerant.

Ode 6.

Ah quanta vis piscium in aqua hic latitat ope herbarum quae sunt ipsorum latibula. Acipenseres, pisces

cyprini, pisces Tiao, pisces Tchang, pisces Yen dicti sunt illi pisces, qui hic reperiuntur et ad oblationes adhibentur, et nos ingentibus bonis augemur.

Ode 7.

Advenerunt amantissimi principes, paci et animorum concordiae studentes, officiorum observantissimi, venerunt imperatori fideles Reguli: imperator autem quanta oris dignitate conspicuus, quanta majestate!

Magnas pecudes offerunt illi et me parentantem adjuvant, omnia ex ordine disponunt. Praestantissimus fuit scilicet, admirabilis pater meus; et mihi obsequioso filio dedit summa pace frui.

Quae sunt hominis laudes, ingenium cum prudentia; quae sunt regis laudes, clementiam cum majestate conjunxit; neque id satis habuit; cum augusto coelo pacem etiam sibi conciliare studuit, sic nepotibus suis et eorum splendori consuluit.

Hic mihi auctor fuit et causa ejus, quae me manet immortalitatis, et ingentium quae percepi bonorum. Admirabilem patrem meum, nec non amantissimam matrem honore debito prosequor.

Ode 8.

Qui imperatorem convenerunt Reguli id agunt, ut leges servent et caeteris exemplo praeeant. Micant imperatoria vexilla dracone insignita et flante aura ventilantur. Curruum ligni anterioris et vexilli partis superioris strepitum juvat audire; nec non strepitum quem cient equorum capistra et fraeni; apparatus ille adeo splendidus intuentibus placet.

In avorum memoriae dicatas aedes, ad locum Tchaó-kao dictum deducuntur. Avis praestantur obsequia, eisque ut decet pios filios, parentant et oblationes peragunt.

Ejusmodi suo in majores obsequio innumeros et felices vitae annos sibi comparant, imperium aeternum asserunt, ingentia bona sibi accersunt. Quae percipit bona imperator ea clarissimis Regulis imperii adjutoribus accepta etiam refert: illi sunt quorum virtute tot prospera nactus est, in (majorum) splendorem successit et facilitatem integram consecutus est.

Ode 9.

240 Advenit hospes, advenit hospes, albis equis vehitur, officiorum suorum observantissimus est; quos habet in comitatu sunt selecti et ornatissimi viri.

Advenit hospes, ad nos divertat, divertat: advenit hospes apud nos maneat, maneat; equos ejus alligamus; (neque eum sinimus abire).

Proficiscentem persequimur et redire compellimus; qui sunt in ejus comitatu benigne excipimus. Vir est egregius, et beneficiis eum cumulatum volumus.

Ode 10.

O quam magnus, quanta admiratione dignus imperator Ou-ouang quem nemo factis aequiparare potest! pacis laudibus vere fuit ornatus imperator Ouen-ouang, qui posteris suis iter munivit (ad imperium). Successorem habuit ille imperatorem Ou-ouang, qui dynastiae Ing imperatorem debellavit, turbato imperio pacem asseruit, et ingentem gloriam sibi peperit.

Caput 1. — Articulus III.

Ode 1. 342

Ego parvulus, miseratione dignus in quantam familiae meae calamitatem incidi! orbus maereo et derelictus lugeo. Ah! qui vixit admirandus pater meus ad mortem usque pietati erga parentes nihil defuit.

Jam ego in aedibus regiis; sive intrem, sive foras exeam; in admirandi avi mei, qui vixit, cogitatione usque sum defixus, et ego filiolus diu noctuque attentus mihi caveo et majorum nomen vereor.

O quanta admiratione digni sunt imperatores in quorum solium successi! eorum unquam oblivisci nefas esse existimo.

Ode 2. 343

Cum jam primum imperare incipiam, haec mea est cura, ut aliorum consilia exquiram, si quomodo possim parentis mei vestigiis insistere; sed heu! quam longe ab ejus virtute absum! eum assequi frustra conor. Ego in ejus virtutes succedere studeo, sed me ab ipso ubique et semper diversum doleo. Ego filiolus, ego infantulus, tot labores domesticos tantosque perferendo me prorsus imparem video. Quae ille in solio gessit, quae domi egit, sive parva, sive magna, ea omnia imitari curo, et parentis mei admirabilis beneficio me ipse praestabo incolumen, et imperii mei splendorum tuebor.

Ode 3.

Attende tibi, attende tibi, coelum enim perspicacissimum est, et longe perspicacissimum est. Ejus 344
gratia et favor non est quid facile. Noli dicere coelum supra nos longe a nobis distare et altioribus altius esse. Adest tamen supra et infra. In rebus nostris, quotidie adest hic, et haec loca propius intuetur.

Ego puer infans, nullo ingenio, nulla solertia; sed ad studium virtutis ingredi quotidie conor, et ulterius in menses progredi studeo, atque ita paulatim sapientiam comparare et splendorem nomini meo addere potero. Vos autem imperii magnates, qui onus imperii mecum sustinetis, quae sunt virtutis colendae, ea mihi palam facere ne dubitetis.

Ode 4.

Ego deterritus a malo quod imminet praecaveo; ego vespam non irrito, nec volo aculei ejus me pungentis dolorem mihi creari. Aviculam illam cerne, initio non est nisi avicula, sed postea assurgit volando et fit magna avis. Quos ingentes suscipio domesticos labores ferendo vires non suppetunt. Circumfusae adhuc undique molestiae animum meum cruciant.

Ode 5.

Avellantur herbae, eradicentur arbores, tellus purgetur et ager aratro aptus fiet.

Homines numero mille bini et bini simul agrorum sata purgant, modo in agrorum interiori parte, modo in agrorum confiniis sarculando incumbunt.

Adest tibi agri dominus, ejus filius natu maximus et caeteri filii, cognatorum turba, adsunt homines operarii, homines adjutores, comedunt et comedentium juvat strepitum audire. Ibi praesto est obsequiosa uxor, et uxoris adest vir amantissimus. Aratri vomer acuitur, estque ab australi agro principium operis.

Variam sementem in terram mittunt et semina foecunda gemmas trudere incipiunt.

Pullulant germina, pingui succo tument et mature crescunt.

Quam laeta sunt et confertim crescunt, sata nostra quae sarriamus oportet.

Jam maturae segetes metuntur et messorum adest ingens numerus. Vis magna frugum percipitur: collecta frumenta in acervos surgunt, horrea implentur. Sunt modiorum decem millia, centum millia, mille millia. Vinum et dulce vinum conficitur, quo avis nostris parentamus; aviarum memoriam renovamus et quascumque caerimonias peragimus.

Vino odorato (hospites excipimus) et regno addimus splendorem. Vinum pipere T s i a o conditum et suaveolens senioribus praebemus, quo vires suas confirmare et senectutem suam recreare valeant.

Non sola est haec nostra regio quae tam feraces segetes percipiat. Non hic primus est annus qui nobis tot frumenta advexerit, diu est ex quo his bonis fruimur.

O d e 6. 348.

Vomeris dentem acuite, aratrum parate; ab agro australi esto principium operis.

Varia semina terrae mandantur, et brevi vitalis et fecunda sementis germina trudere incipit.

Nonnulli vos invisuri veniunt, et secum habent canistra et corbes in quibus milium et cibos asportaverunt.

Agricolae in capite textum ex palea levem pileum gerunt, et quod prae manibus tenent sarculo agrum sarriunt, et herbas T o u et L e a o dictas nocentes avellunt.

Quibus rejectis herbis et in agro putrescentibus varii crescunt milii sata.

Jam messis falci apta est, et messorum strepitum juvat audire. Magnam vim frugum colligunt in acervos, quos in altos muros surgere diceres; sunt etiam similes pectinis; familia numerosior facta est, et in centum familias dividuntur.

Centum illae familiae numerosae fiunt, in illis mater et liberi quanta pace perfruuntur. Bos flavo corpore et nigro rostro jugulatur, illius est incurvum cornu. Vestigiis majorum insistunt, et ordo majorum (in parentalibus) servatur.

Ode 7.

In vestibus sericis et splendidis, solenni pileo Pien dicto, venerabundus et oris habitu ad modestiam composito aedium scalas ascendit. Oves et postea tauros visurus pergit. Vasa alia Naï, alia Tsee dicta perlustrat, nec non curva figura crateres. Dulce et optimum vinum adhibetur. Inconditae voces minime audiuntur, nihil incuriose peragitur; atque ita felicitas et longa vita comparatur.

Ode 8.

351. O quam fortes regis erant militum copiae, sed tempori et rerum circumstantiis consulebat; cumque adhuc essent suspiciosa tempora, nihil esse tentandum judicavit. Postquam dies favens illuxit, tunc fortissimo exercitui signum profectionis dedit, bellumque indixit. Quod habemus, illius est beneficium, illius industriâ et diligentiâ partum est. Qui in locum tuum successerunt, o Rex, te magistrum quem sequantur seligant oportet.

Ode 9.

Regnis omnibus pacem asseruerunt et quolibet anno secuta est magna annonae copia. Constans fuit et perpetuus coeli favor. Fortissimus imperator Ou-ouang fuit sapientibus viris praesidio, eorum ubique opera usus est, sic domum et familiam suam confirmavit, nomen quaesivit o quam illustre, coelorum nempe splendori aequandum; sic loco alterius rerum potitus regnavit.

Ode 10.

Quam diligentiam adhibuit imperator Ouen-ouang, eam et ipse adhibere debeo. Publicae salutis studiosus ego, qui pacem imperii vindicavit, strenuum virum usque cogito, praeclara ejus merita celebro. Quantus fuit coeli favor erga gentem Tcheou inclytam; hoc profecto mente volvi et revolvi par est.

Ode 11.

Magnus imperator Tcheou montem arduum, qui parvo circuitu, alto tamen est jugo, et inter montes sacros altitudine sua insignes, Yo dictos, annumeratur, ascendit. Juxta fluvios placido fluentes cursu incedit; eo gentes undique confluxerunt et convenerunt; adeo coelum genti Tcheou inclytae favet.

Caput 2.

dictum LOU-SONG,

sive

PARENTALES CANTUS REGNI LOU.

Ode 1.

Tergo et ventre obeso, proceri et pingues equi rure longe ab urbe aluntur. In illis equis, alii sunt atrato corpore et ventre albo, alii sunt rufo et albo colore, atro colore alii, alii subrufo, firmi et validi

illi quidem. Princeps autem is ille est, cujus vis ingenii nihil retardari possit nullisque finibus cirtumscribi, suntque ejus equi optimi.

Tergo et ventre obeso, proceri et pingues equi rure longe ab urbe aluntur, alii mixto crine, alii flavo et albo mixtoque colore, alii subrubro et subflavo colore insignes, alii leucophaei et subnigri, viribus praestant, apti qui curribus jungantur. Princeps autem is ille est, cujus animi fortitudo nullo labore vinci possit, indefessus est et tales equos habet.

Tergo et ventre obeso, proceri et pingues equi rure longe ab urbe aluntur, alii nigri et albis maculis distincti, cinereo corpore et atra juba alii, alii subrufo corpore et juba subflava, nigro corpore alii albaque juba. Curribus juncti aequali gressu, ex ordine continuo procedunt. Princeps autem propositi tenax nullo vincitur fastidio; equi autem ejus veloces et impigri.

Tergo et ventre obeso, proceri et pingues equi rure longe ab urbe aluntur; alii sunt subalbo et mixto crine, alii mixto colore rubrum et album inter certante, albis cruribus alii, alii albis oculis. Curribus juncti quantis viribus valent. Princeps autem vir rectus nihil prave sentit; ejus autem equi quam belle incedunt.

Ode 2.

Sunt equi pingues et validi, sunt equi pingues et validi, qui curribus junguntur equi, pingues illi quidem et rufo colore insignes. A mane ad vesperam in aula regia adsunt (magnates), in aula regia adsunt quam splendidi, quam rerum periti. Turmatim volant aves Lou-see. (Qui eas aucupantur eorum personam invitati magnates agunt saltando) Has aves diceres (in paratum aucupium) se volando proripere. Pulsatur tympanum, saltant convivae bene poti, et genio indulgent.

Sunt equi pingues et validi, sunt equi pingues et validi. Qui curribns junguntur equi sunt pingues et castrati. A mane ad vesperam in aula regia adsunt convivae, in aula regia adsunt et compotationes exercent. Quae turmatim conveniunt aves Lou-see eas volare diceres. Pulsatur tympanum, bene poti abeunt et uno animo laetantur.

Sunt pingues et validi equi, sunt pingues et validi equi; qui curribus junguntur equi pingues illi et partim nigro, partim rufo colore. A mane ad vesperam in aula regia adsunt convivae, adsunt in aula regia ibique epulantur. Nnnc primum amplam et uberem annonae copiam percipimus. Viris probis abunde suppetit. Pars annonae filiis et nepotibus servatur; sic inter se gaudent et laetantur.

Ode 3.

Gaudent et laetantur in palaestrae loco qui aquae 355.
canali in arcum diducto undique cingitur, ibi apium decerpitur. Huc advenit ditionis Lou rex et dominus, cujus vexilla cernere juvat, ventis ludibrium praebentia; tintinnabula suavem in modum circumsonant. Sive summi, sive infimi omnes ei sunt in comitatu.

Gaudent et laetantur in loco palaestrae aqua cincto; ibi herba Tsao colligitur. Huc advenit ditionis Lou dominus, cujus equi validi. Clare loquitur princeps ille, quam urbanis est moribus, quam suaviter ridet, in docendo quam lenis!

Gaudent et laetantur in loco palaestrae aqua cincto, ubi herba Mao decerpitur. Huc advenit ditionis Lou regulus et ibi compotationes exercet; quod bibit dulce vinum senectam ab ipso usque arcet et ipsius juventutem

fovet; idque agit princeps ut quam terit virtutis viam hanc ipsam populi sequantur.

Ditionis Lou dominus quanto splendore princeps! vir ille quidem oris majestate et virtutis splendore insignis. Animum suum virtutibus excolere satagit, in moribus suis decorum diligentius spectat, et suis praeit exemplo, pacis et belli laudibus praestat. Avorum suorum splendore totus vel ipsis addit splendorem. In majores suos pietatem sectatur, sic omnia huic prospera contingunt, et sibi ipse bona arcessit.

Lou ditionis dominus et rex, rerum prudens et peritus princeps animum suum ad virtutem informavit et diligenter excoluit. Gymnasio Pan-kong constructo, regionis Houai barbari sese ipsius subdidere legibus. Principis duces militum tigridis fortitudinem imitantur, et ex bello victores palaestrae locum et gymnasium adeunt, ibique offerunt et tradunt hostium amputatas aures (sinistras); de hostibus bello captis rite quaestionem habent judices, Kao-yo (antiqui hujus viri) exemplum sequuntur, et captivos in locum palaestrae vinctos sistunt.

Ingentibus copiis conflatus est exercitus, milites magnos animos gerunt viresque exerunt, in pugna pugnanda fortes sunt et strenui, regionem ad orientem, versus austrum positam purgant, quam fortes et expediti, modestiae memores nihil perturbate agunt, nihil insolenter se efferunt; pacis et concordiae inter se studiosi non lites movent, non rixantur, et (reduces) praeclara sua merita in loco palaestrae monent.

Militum arcus ex cornu elaborati firmi et rigidi, plures simul sagittae pernices eundo strident. Currus militares quam multi, qui post currus eunt, quam

impigri. Regionis Houai debellatis barbaris milites nihilo secius ducis imperio obsequuntur. (Hujus bellicae expeditionis) Res fuit mature deliberata, certum fuit consilium; sic regionis Houai barbari victi tandem et capti fuerunt.

Huc illuc agitant alas aves Hiao volando et in loci palaestrae nemus conveniunt, ubi moris nostris pascuntur. Regionis Houai barbari virtute nostra commoti, (culpam) agnoscentes, benevolentiam victoris captaturi veniunt, cui munera offerant, gemmas scilicet, magnas testudines, ebur nec non vim magnam auri ex australibus fodinis eruti.

Ode 4.

(Principis nostri avorum memoriae dicata adyta) Aedes mundae et vastae, ubi altum regnat silentium; firmitate sua stantes, quam magnificae sunt, quam splendidae! magno certe honore digna est mulier inclyta Kiang-yuen, cujus virtus sincera nihil pravi habuit admistum, quae, summi rerum domini et dominatoris beneficio, nullo infortunio, nullo labore, et mulierum pariendi tempore expleto, sine dolore peperit: cujus natus est (celeberrimus) Heou-tsi ad quem ab alto prospera omnia devenerunt, duplicis milii Chou et Tsi dicti una et altera intra annum messis, nec non pisorum et melanpyri, sive tritici atri, una et altera messis; sic ille inferioris ordinis regnum obtinuit. Populos rem agrariam docuit; variis frugibus colendis operam dari curavit; frumenta illa, unum Tsi dicitur, alterum Chou, tertia est oriza, quartum est milium nigrum. Inferioris ordinis ditionem obtinuit, et in magni Yu officium successit.

Taï-ouang princeps dignus est Heou-tsi principis nepos qui (Taï-ouang) ad austrum montis Ki sedem fixit, hoc fuit primum vulnus quod dynastia Chang accepit; deinde vero Ouen-ouang et Ou-ouang principis Taï-ouang successores: coeli favoris metam ultimam assecuti sunt in campis Mou-ye dictis *), quo iter direxerunt. Jam macte animo, clarissime princeps, noli alienum a fide data induere animum, noli variis curis distrahi, adest tibi summus rerum dominus et dominator; quibus dictis dynastiae Chang fusus est exercitus, et omnium fuerunt praeclara merita. Sic autem imperator (Tching-ouang) ad patrum suum (Tcheou-kong): o mi patrue, qui es mihi in patrem, ego filium tuum natu maximum ditionis Lou regulum de titulo Heou esse jubeo, regionis tuae fines longius proferri volo, ut imperium Tcheou in te tuisque praesidium habeat suum.

Ita ferebat imperatoris voluntas, ut princeps Lou-kong **) in plaga orientali titulo Heou gauderet, cui imperator montes et fluvios attribuit, fundos et agros cum urbibus dedit. Principis Tcheou-kong nepos, principis Tchouang-kong filius vexillis dracone insignitis ex ordine dispositis ad sacrificium pergit faciendum, curruum lora numero sex mollia et flexibilia. Verno et autumno tempore sedulam dat operam (ritibus solennibus peragendis); et in sacrificiis nihil peccat. Qui his ritibus colitur summus est rerum dominus et Rex, qui per se regnat; qui secundario colitur est princeps Heou-tsi, unde familia Tcheou suam trahit originem; sacrificii victima est subrubro colore

*) Vide III, 1, 2.

**) Qui fuit regni Lou primus regulus, scilicet princeps Pe-king.

taurus. Probatur et acceptus est qui redditur honor; prospera multa descendunt. Clarissimus Tcheou-kong augustus avus tuus tibi, o princeps, multa bona accerset.

Ad solennes ritus Tchang dictos tempore autumnali peragendos, aestivo tempore paratur mire ornatus et alligatis cornibus unus et alter taurus; unus est albo, alter subrubro colore; implentur crateres in bovis formam elaborati. Detractis pilis carnes frustatim concisae in aqua decoquuntur, ut fiat jusculum. Vasa Pien, Teou, Ta, Fang dicta munda sunt; saltatio Ouan dicta exercetur quam belle! pii nepotes laetantur. Sed nomen tuum, o princeps, illustre fit et fertur in sidera. Felix vita tua in multos producitur annos. Princeps ille regionis ad orientem positae columen; regnum Lou (avitum) aeternum praestat, hoc servat incolume, a quo perniciem procul arcet, hoc pacatum tuetur, a quo rerum perturbationes terroresque pellit. Tribus aetatibus probatus est, vitamque suam montibus et collibus, qui perpetuo stant, adaequabit.

Principi sunt currus (militares) numero mille; rubro sunt colore ornamenta appensa (hastarum et lancearum hastili). Viridi sunt colore funes (quibus arcus circumligantur). Duas lanceas et duos arcus (militum quisque habet). Principi sunt triginta millia peditum; magnifice ornatur galea, cui imponitur rubrum sericum. Peditum militum numerosus exercitus contra barbaros Yong et barbaros Ti dictos, contra eos qui regionem King-chou incolunt, nec barbarorum quisquam nobis resistere audet. (Princeps invicte) Nomen tuum illustre est, et in astra affertur. Vivas, aeternum vivas, beatus et ditissimus vivas. Canos tuos et innumeros graves annis et senio incurvos videas. Aetas gran-

daeva, et vires corporis et ingenii firmae in te pariter certent; sis longaevus; sis magnus; octogenarius quinquagenarii sis viribus; immo cum undecim millia annorum vixeris, felix adhuc tua sit viridis crudaque senectus.

Quam eminet mons Taï-chan, ad quem ex regno Lou patet prospectus. Regni hujus ditio montes Kouei et Mong circumplectitur, nec non remoti orientis regiones et quae mari adjacent regna hac ditione continentur. Regionis Houai orientalis barbari venerunt et sese regno Lou subdiderunt; neque eorum quisquam principis imperium detractare audet. Haec est Regis Lou laus praeclara.

Imperio suo princeps noster fovet montes Fou et Y dictos, et quidquid ambit regio Siu, ad mare usque pertingentia regna ipsius parent legibus. Regionis Houai barbari et alii sive ad orientem, sive ad austrum, sive ad orientem versus austrum degentes illi quotquot sunt ipsius detrectare imperium minime audent. Gentes illae sunt ipsius juris, ipsiusque arbitrio reguntur.

Coelum tanto principi mercedem meritorum tribuat precamur; huic felicitatem praestet nullo malo admistam, multos et felices vitae annos regnare det, quo diutius regnum Lou servetur incolume; det principi nostro in Tchang regno, in regno Hiu sedem figere, quam, et quae Tcheou-kong obtinuit avita regna amissa, recipere; interea princeps noster felices et laetitiae plenos dies suos agat precamur; uxore proba et longaeva matre gaudeat, eximios ministros et regni praefectos bonorum studiosos habeat, multa regna ipsius pareant legibus, dumque regnum innumera percipit bona, Rex

senior cum canuerit suos adhuc quos olim puer habebat firmos dentes habeat.

In monte Tsou-lae pini, in monte Sin-fou cupressi caeduntur, quarum mensuram ineunt et mensura est unius Sun (octo pedum) vel est unius pedis. Pinea tigilla, novarum aedium tecta spissa sunt ligna. Quod recens surgit aedificium, avorum memoriae sacrum, hujus pars posterior Lou-tsin dicta quam ampla construitur. Novae parentalium aedes quam altae, quam eximiae. Viri primarii, qui est de nomine Hi-see cura totum aedificium assurgit quanta longitudine, quanta magnitudine conspicuum; sic populorum omnium votis fit satis.

Caput 3.

dictum CHANG-SONG sive PARENTALES CANTUS DYNASTIAE CHANG.

258

Ode 1.

O quam multi sunt (qui hic adsunt musici)! aurita Tympana nostra Tao dicta collocantur ex ordine, pulsantur Tympana, et sonos edunt quam suaves quam modulatos, quibus sonis musicis clarissimi avi nostri animum recreare maxime vellem.

Ego (Imperatoris Tching)-tang nepos musicum concentum fieri jubeo, ut avi mei memoriam excitem: (ejusmodi vocum concentu) pacatus fit animus meus, et promptior est ad avi mei speciem e vivo expressam animo fingendam. Aurita tympana reboant sonis continuis; clarescit autem fistularum sonus, temperate et modulate fistulis canitur. Cum King instrumento optime concordat caetera musica, hujusque soni illius so-

num bene excipiunt. Clarissimi et maximi Tching-tang imperatoris nepotem, quis non admiretur! hic (loquendo) vocis suae dulcibus sonis mirabiles sui amores excitabat.

Campanarum et tympanorum sonos quam juvat audire! saltationem Ouan dictam modulatam et ex ordine compositam quam juvat videre! adsunt mihi optimi hospites, nonne et ipsi laetitia exultant?

Quae ab omni aevo nobis tradita sunt, quae antiquitus majores nostri nobis reliquerunt doctrinae monumenta, gesta eorum ego a mane ad vesperam vereor, et attentius cogito, et publicam rem administrans hanc vitae normam diligentius sequor.

Quos peragimus parentalium ritus ah si majores nostri acceptos haberent! ego sum (imperatoris Tching-tang nepos qui his officiis defungor.

Ode 2.

59. Clarissimus avus o quam beatus est! ejus felicitas quam constans et perpetua; nullis finibus definita felicitas ipsius est merces et praemium. Tu ejusdem felicitatis in partem vel ipse venisti.

Purum funditur vinum, mihique datur speciem hujus viri e vivo expressam animo fingere. Adest jusculum diligenter conditum; nos autem animum collegimus et tranquilla mente haec parentalium officia aggredimur; dumque avi nostri memoriam excitamus, favemus linguis et verbis contendere nefas esse ducimus; sic multos et felices vitae annos et mercedem infinitam speramus.

Circumligatum rotarum axem et depictas quadrigas aspexisse juvat; quibus instruuntur octo tintinnabulis,

eorum sonos audivisse juvat. Adveniunt et suam nobis praestant operam. Ingens est erga me coeli favor et munificentissima erga me ejusdem benignitas. Uberrimam messem annonamque feracem coelum nobis concessit, et sacrificia nostra accepta habet nobisque felicitatem nullis finibus definitam largietur.

Atque utinam quos jam perago ritus, ii accepti et probati sint; ego enim (imperatoris Tching)-tang nepos his officiis defungor.

Ode 3.

Coeli mandato factum est, ut nigra avi (hirundine) volando delapsa, gentis Chang inclytae auctor nasceretur; in regione In dicta habitavit ille, quae vasta et ampla est regio. Summus rerum dominus et dominator olim voluit fortissimum virum (Tching)-tang orbi terrarum et ultimis terrae finibus jura dare.

Quod mandatum principibus denuntiatum fuit, sic (provincias) omnes numero novem ille obtinuit. Dynastiae Chang priscus imperator coelo jubente imperium nullo suo periculo obtinuit, et illa avi prospera ad Outing nepotem pertinent.

Ou-ting nepos tanto avo dignus est, et alter Ououang (sive Tching-tang) merito dicitur. Adsunt decem currus cum suis vexillis dracone insignitis: duo genera milii offeruntur.

In mille stadiorum regno, (quae est imperatoris peculiaris ditio) et in regni hujus populos juvat sedem suam fixisse; sed totum imperium quatuor maria terminant.

Quas gentes quatuor maria comprehendunt, illae (obsequium suum testificaturae) convenerunt, turmatim venerunt. Regio King (ubi urbs regia) tota fluviis cingitur. Gens In inclyta, coelo jubente, imperium obtinuit, omnia pro votis habuit, et prospera quaeque sortitur.

Ode 4.

Qui fuit generis Chang incliti auctor, ille in primis altissima prudentia praestabat; quae illi faverent jamdiu apparuerant fausta omnia. Fuit aquarum magnum diluvium, quod curavit magnus Yu et terras depressas aquis liberavit; tunc invaluit (imperium sinense) et ingentia exterorum regna pro limitibus habuit, magnoque factum est ambitu; in hoc ingenti terrarum tractu occurrit potens familia Yeou-jong dicta, ex qua fuit puella, quam summus rerum dominus et dominator hanc esse constituit, unde generis Chang inclyti auctor nasceretur.

(Qui hac muliere natus est) Hiuen-ouang princeps publicam rem forti animo administravit. Regno praepositus sive parvo sive magno, eo gentes liberos aditus habere et commeare voluit; rationis leges secutus, nihil ultra modum agere solitus, suos clementer tractans, suorum sibi animos devinxit et ipsos sibi morigeros esse aspexit. (Hujus nepos fuit) Siang-tou cujus animi fortitudine et nominis splendore omnia ultra mare composita sunt, et ordini reddita.

Summi rerum domini et dominatoris mandata violare nefas esse ducebant (generis Chang inclyti principes); atque ita cum (principis Tching) tang incidissent tempora, quae maxime faverent, tunc nec mora natus est (dictus princeps Tching) tang. Prin-

cipis hujus religio major in dies ad coelos usque ferebatur, magis magisque elucebat; cumque princeps ille summum rerum dominum et dominatorem summa religione coleret, hoc summum dominum commovit, ut principem illum novem provinciis dominum et vitae magistrum praeponeret.

(Factus imperator) Gemmas et parvas et magnas (in tributum) accepit. Parvis regnis nodos sericos (vexillo) appendere licuit. Coeli beneficiis cumulatus (novus imperator) nihil praepropere, nihil tamen incuriose egit; nihil severe, nihil tamen remisse; in rebus imperii tractandis magno et excelso animo, sic prospera omnia nactus est.

Imperii regna sive parva sive magna huic vectigal pendebant; vastumque et potens, cui dominabatur, imperium. Coeli favore tutus fortitudinis suae specimina ubique dedit. Sine strepitu, immotus, intrepidus, impavidus bonis omnibus cumulatus fuit.

Fortissimus Qu-ouang (Tching-tang scilicet) vexilla sua defigit, re mature deliberata securim accipit, furit ille quasi ignis vehemens; quis nobis, inquit obsistere ausit? Tria radici insunt germina, quae ille non sinit radicem fovere. In novem provinciis rebus compositis, regno Ouei et regno Kou debellatis, ad regnum Kouen-ou et dynastiae Hia (imperatorem) Kie devenit.

Quae antea fuerat mediis seculis, res erat plena aleae, et omnia tunc metuenda erant; sed quia dignus fuit coeli filius, dignusque imperio, coelum illi dedit fidelem imperii administrum; qui administer de titulo Kouo-hing omnino fuit imperatori Chang (i. e. imperatori Tching-tang) praesidio et auxilio.

Ode 5.

Ille In (sive Chang) imperator fortis et strenuus vires exerit suas et contra regnum King-tchou ducit exercitum; in locum plenum aleae imperterritus prorumpit et regni King-(tchou) incolas convocat; quod res ibi compositae sint, hoc (imperatoris Tching)-tang nepos virtute sua praestitit.

(Sic autem imperator ad King-tchou ditionis regulum:) Tu in regione australi, ubi tuum King-tchou regnum positum est, me auspice regnas: olim imperante Tching-tang, ab occidentalibus barbaris usque, nemo rex erat, quin imperatorem adiret munera sua oblaturus, ut obsequium suum testaretur, et clientelam suam profiteretur; nemo hoc detrectare officium audebat: haec est a dynastiae Chang imperatoribus sancita lex, quam violare nefas.

Sic fert coeli mandatum: varii in imperio reguli, quas magnus Yu curavit terras, ibi sedem regni habent et debent singulis annis negotiorum causa imperatorem convenire: nihil est ut arbitror, quod mihi succenseas meque accuses: rei agrariae diligentem curam habeo.

Coeli mandata, coeli voluntas innotescit (per populum qui hujus est quasi interpres), sic populum vereri debemus. Si nihil peccet, si nihil temere et inconsulto agat, si desidiae et otio se dedere non audeat (imperator), coelum favet imperio quod plurimis bonis cumulat.

Imperatoris Chang urbs regia quam bene morata, quam bene constituta civitas, est ubique pro exemplo et norma quam sequantur; magnum est et illustre illius nomen. Qui ibi est imperator plenus majestate, summo

ingenio et intelligentia praestantissimus: aetate provectiore sine molestia vivit. Pax summa qua fruitur posteris nostris salutem et incolumitatem asserit.

Mons ille King dictus conscenditur et quae ibi sunt pini et cupressi, recta ligna caeduntur; transvehuntur illa, dimensa resecantur et complanantur, fiunt ex pino tigna longa et multa magnaque antipagmenta portarum. Aedium parentalium pars posterior opere completur, ibi summae quietis et alti silentii sedes.

FINIS.

NOTAE IN LIBRUM CHI-KING.

PARS I.

CAPUT 1.

TCHEOU-NAN.

Cum princeps Ouen-Ouang in regionem Fong provinciae Chen-si territorii Si-gan-fou, ex monte Ki-chan ejusdem provinciae territorii Fong-tsiang-fou (anno ante Christum 1137) migravisset, regionem ad montis Ki-chan austrum positam, patrum suorum antiquam ditionem, in duas partes distribuit, quas principi filio suo Tcheou-kong et principi Chao-kong regendas attribuit, quarum mores in partis I. libri Chi-king duobus primis capitibus describuntur; et capitis 1. titulus est Tcheou-nan, 2. Chao-nan.

Capitis 1. Tcheou-nan carmina collecta primum fuisse dicuntur a principe Tcheou-kong, ut coram imperatore canerentur.

NOTAE IN Oden 1.

Odes argumentum conjicitur esse epithalamium principis puellae, quam Ouen-ouang filiam suscepit ab uxore sua regina Taï-see.

Tsu-kiou appellatur etiam Ouang-tsu, similis est anatis, reperitur in fluviis Kiang et Houai. Hanc avim jura conjugialia novisse diceres, et mas foeminae mari fidem datam semper servare dicitur.

Vir sapiens est princeps Ouen-ouang.

Hing-tsaï planta in ima aqua crescit, et extat ex aqua, sursum viridanti, deorsum albenti est colore;

hujus folia rotunda violaceo colore duobus et amplius digitis lata, hujus caulis bifida et bisulca.

Kin et Che instrumenta musica, illud quinque, aliquando septem fidibus instruitur; hoc autem viginti et quinque fidibus constat. Quisque litteratus etiamnunc suum Kin habet, quo canere didicit. Kin est lyra, quae, lyrae Apollinis speciem quamdam prae se fert.

Campana et tympanum etiamnum apud Sinas inter musica instrumenta annumerantur, et in concentibus musicis adhibentur.

Ode 2.

Nupta puella domum paternam cogitat.

Hic mos usque adhuc viguit, ut nupta post certum quoddam tempus in domum paternam redeat; ubi ad tempus manet seorsum a viro suo.

Planta Ko unde tela Ko-pou quam ab omni aevo Sinae ab imperatore ad plebem infimam aestate induunt, est species hederae circa pinos et cupressos, cujus folia trifida, vel species viminis humi serpens, folio tenui et oblongo, cujus radix est comestibilis; flos ebrietatem depellit, propagines aqua coctae et maceratae in fila deducuntur firma quidem, ex quibus texta tela aestivos arcet calores; quae tenui et flavo filo pluris aestimatur, et sordida lavatur. Hujus plantae species est silvestris, cujus succus venenosus.

Hoang-niao sive crocea avis, quia corpore croceo; pennas autem habet viridi, vel partim nigro, partim flavo colore; vulgo appellatur Hoang-tsio; est passeris magnitudine, dulcissime cantat, mas et foemina simul volant, octava luna jam cantare desinit.

Ode 3.

Hujus odae argumentum legenti per se patet.

Kuen aliter Tsang-eull aut Si-eull aut Chou-fou-lae, varia enim nomina sortitur, vino conficiendo est usui; in acervum et in modum patinae crescit, hujus folia muris auriculam imitantur, spinas habet et fructus ziziphi similes, pluris fit, estque una ex vulnerariis.

Aliquis: quis ille scit nescitur. Conjiciunt illum esse Ouen-ouang. See est bos silvester, uno cornu, subviridi colore et mille librarum pondo, hujus corio spisso et rigido utebantur in loricam.

Ode 4.

Regina Taï-see principis Ouen-ouang uxor celebratur.

Mons Nan-chan in territorio Kouei-tcheou-fou ad boream fluvii Kiang, in limitibus provinciarum Ho-nan et See-tchouen.

Ko-læi est planta Ko vid. not. in od. 2.

Quae Reginae Taï-see adstabant matronae gratulantur dominam praeclaris laudibus ornatam.

Ode 5.

Argumentum idem quod supra, et Reginae Taï-see multos nepotes precantur.

Tchong-see est species locustae quae cruribus ciet strepitum, Kouo-kouo vulgo appellatur, 99 ova uno partu gignit.

Ode 6.

Jam describuntur mores regionis quam princeps Ouen-ouang principi Tcheou-kong pater filio attribuit, laudanturque quod in familia quavis pax et ordo regnet.

Hic dicitur imperante familia Tcheou in more

positum fuisse, ut cum arbor persica florescere inciperet, tunc contraherentur nuptiae.

Ode 7.

Imperator et Reguli ter intra annum ibant venatum. Prima venatio erat pro caerimoniis et sacrificiis. Secunda pro hospitibus excipiendis. Tertia pro proprio victu. Princeps qui venationem negligeret vituperabatur; sed in venatione leges erant servandae; vel imperatori ipsi non licebat feras in unum locum turmatim coactas circumire, nec licebat regulo turmae ferarum retia tendere, ferarum pullos, feram foetam occidere, avium ova capere non licebat. Aves in nido et ferae in cubili suo a venatoribus securae manebant. Venatione maxime exercebantur milites. (Ita liber Li-ki classicus, ita tetrabiblion Sinicum).

Principi nostro Kong-Heou; his verbis innuitur Ouen-ouang. Kong-heou est titulus reguli.

Scutum Sinice Kan non est nisi species scuti in acumen desinens et in latum extensa.

Liber Tsin-ouen-kien dicit scutum et lanceam inventa fuisse a Fou-hi; in scuto in quod manus intromittebantur depingi solitum fuisse caput animalis; dicit scutum plerumque fuisse figura rotunda, quae figura eadem est, qua depingitur scutum in Europa, et eadem qua nunc utuntur Sinae. Hodiernum scutum Sinense est ex vimine textum et pictum.

Ode 8.

Herba Feou-y vulgo Tche-tsien est plantago quae aqua fervente coquitur et comeditur a Sinis.

Quid sibi velint illae mulieres hanc plantam colligendo nescitur. Sunt qui dicunt hanc plantam adjuvare mulieres parturientes. Sed quomodo nesciunt plantaginem multo et optimo esse usui?

Ode 9.

Castitas mulierum commendatur.

Fluvii Han et Kiang et in ode sequenti amnis You suum nomen etiamnum retinent. Fluvius Han in Kiang confluit in provincia Hou-quang.

Ode 10.

Amor conjugalis commendatur.

Amnis You provinciam Ho-nan alluit, et confluit in fluvium Houai.

Virum sapientem, maritum suum scilicet.

Fang piscis corpore plano et gracili, parvis squammis, imbellis viribus, quando defatigatus est, hujus cauda, quae alba est, rubescit. Hujus caro optimo sapore; ore est in se recurvo.

Regis scilicet Tcheou-ouang imperatoris suorum tyranni.

Parens noster scilicet Ouen-ouang princeps optimus, in cujus spe conquiescebant populi. Tunc temporis Ouen-ouang duas tertias partes imperii sibi addictas habebat; volebat tamen, ut sui suam imperatori darent operam.

In 11.

Ki-ling habet, si Sinas audias, damae corpus, ovis caput, bovis caudam, equi crura, bovis calcem, unum cornu cujus extremum carneum, corpus squammeum. Tempore imperatoris Yong-Tching provinciae Chan-tong prorex imperatori gratulatus est natum Ki-ling, cujus fit descriptio aliquantum dissimilis hujus... Corpus Ki-ling quinque coloribus distinguitur, 12 pedibus altum est, cum graditur; herbis proterendis aut insectis laedendis parcit, cornu suo animalia non petit.

Principis Ouen-ouang tres filii commemorantur; nempe Pe-y-kao primogenitus exhaeres, alter Ou-ouang haeres, qui fuit imperator, tertius Tcheou-kong vir celeberrimus, de quo multa inferius.

NOTAE IN CAP. 2. (CHAO-NAN).

Ode 1.

Chao-kong princeps fuit egregius, de quo multa inferius. Regionis quae ipsi a principe Ouen-ouang attributa fuit mores jam describuntur.

Avis Kieou est turtur, aut species turturis, similis est palumbis, cujus cauda subviridi colore, clamosa avis et ignava.

Curribus jungebantur equi et currum ducere honori ducebatur; ars enim illa inter artes liberales annumerabatur. Auriga in curru sedebat medio, alii, vel ipse imperator, ad latus. Altus erat currus quem ope corii conscendebant- Currus militaris sine fastigio apertus erat. Qui jungebantur equi non bini et bini, sed omnes directo in transversum ordine ibant.

Pica bono omine avis habetur. Hanc domi suae videre et cantantem audire amant Sinae; et hujus cantum fausta portendere credunt Sinae infideles.

Ode. 2.

Hanc oden alii aliter interpretantur.

Herba Fan est genus absinthii sylvestris, vulgo Pe-hao-tsee, subalba et odorifera. Sunt qui dicant eam aptam esse alendis bombicibus.

Aula majorum. Vox Sinica in textu est aequivoca, quam alii interpretantur aedem, quae alendis bombicibus addicta erat; dicunt enim mulieres principes olim bombicibus alendis dedisse operam.

Ode 3 et 4.

His duabus amor conjugalis celebratur.

Planta Kue est montana, quae prius producit altum stipitem sine foliis et in ejus vertice tuberculum magnitudine infantilis pugni; ante quam protulerit folia, hujus radix evellitur et comeditur, aut succo extracto in farinam conteritur et adhibetur tempore caritatis annonae. Pro variis tempestatibus anni varias patitur mutationes; dicitur etiam Ouei.

Herba Ping vulgo Fou-ping est aquatilis, quemadmodum herba Tsao vulgo Tsu-tsao: quarum quae sit virtus non dicitur.

Domus Sinenses ab omni aevo ita positae sunt ut respiciant austrum; ab omni etiam antiquitate Sinenses ad angulum domi qui versus austrum et occidentem positus est praecipue attenderunt, hujus causam vaticinetur qui velit.

In 5.

Hac ode celebratur princeps Chao-kong qui suorum sibi animos devinxerat. Dicitur princeps ille sub arbore sedere solitus fuisse, et ibi suorum lites dijudicare; sic principis sui amantissimi meminerunt et hanc arborem laedere timebant.

Tang-li species pyri cujus fructus parvi, quando albescunt dulci sunt sapore, cum rubescunt acido sunt gustu.

Chao-pe est princeps Chao-kong qui titulo Pe cohonestatus fuerat. Ultra aulae imperatoris territorium, quod unum erat ex novem Tcheou sive una ex novem provinciis imperii, erant octo alia Tcheou et varia parva regna suo quaeque Regulo subjacentia. Reguli illi alio titulo insigniti; quinque regna praeter cujusvis regni regulos peculiares regulum alium habebant et ducem

communem titulo Tchang designatum. Decem regna sub uno duce communi, qui erat de titulo Choai triginta regna sub uno duce qui erat de titulo Tching. 210 regna unam provinciam conficiebant dictam Tcheou sub uno duce qui titulo Pe gaudebat. Octo Pe principes ab uno duce qui erat de titulo Lao pendebant et ille Lao ab imperatore proxime pendebat. (Ita liber Li-ki.)

Principes autem Tcheou-kong et Chao-kong extra ordinem dignitate Pe fuerunt cohonestati; ita ut ambo regerent omnes regulos imperii. Tcheou-kong ad ortum provinciae Chen-si (id est ad ortum urbis regiae in Chen-si, item id est ad occasum ejusdem urbis Fong dictae) jura dabat, et Chao-kong ad occasum ejusdem provinciae: (ita interpretes).

Ode 6.

Hac ode innuitur mores opera principum Ou-ouang et Chao-kong correctos fuisse et nuptiarum celebrandarum formam legitimam invectam fuisse; mores enim pessimo imperatoris Tcheou-ouang exemplo pessum iverant.

De sponsalibus et matrimonio ineundo sic legitur in libro Li-ki: Nuptiarum conciliator ad juvenis, quem in sponsum deposcunt, aut nuptiarum conciliatrix ad puellae, quam in sponsam volunt, domum se confert; ille patrem, haec matrem monet, qui si annuerint, utrimque munera mittuntur, quae si utrimque accipiantur, rata sunt sponsalia, nec jam possunt rescindi; stantque firmius quam apud nos. Factis sponsalibus non licet sponso sponsae domum adire. Sponsa autem in signum sponsalium capillos suos supra caput collectos gerit. Quando matrimonium celebrandum est, sponsus sponsae obviam it, quam domum suam deducit; nec tamen celebrantur nuptiae, nisi post tres menses, interim

Ode 3 et 4.

His duabus amor conjugalis celebratur.

Planta Kue est montana, quae prius producit altum stipitem sine foliis et in ejus vertice tuberculum magnitudine infantilis pugni; ante quam protulerit folia, hujus radix evellitur et comeditur, aut succo extracto in farinam conteritur et adhibetur tempore caritatis annonae. Pro variis tempestatibus anni varias patitur mutationes; dicitur etiam Ouei.

Herba Ping vulgo Fou-ping est aquatilis, quemadmodum herba Tsao vulgo Tsu-tsao: quarum quae sit virtus non dicitur.

Domus Sinenses ab omni aevo ita positae sunt ut respiciant austrum; ab omni etiam antiquitate Sinenses ad angulum domi qui versus austrum et occidentem positus est praecipue attenderunt, hujus causam vaticinetur qui velit.

In 5.

Hac ode celebratur princeps Chao-kong qui suorum sibi animos devinxerat. Dicitur princeps ille sub arbore sedere solitus fuisse, et ibi suorum lites dijudicare; sic principis sui amantissimi meminerunt et hanc arborem laedere timebant.

Tang-li species pyri cujus fructus parvi, quando albescunt dulci sunt sapore, cum rubescunt acido sunt gustu.

Chao-pe est princeps Chao-kong qui titulo Pe cohonestatus fuerat. Ultra aulae imperatoris territorium, quod unum erat ex novem Tcheou sive una ex novem provinciis imperii, erant octo alia Tcheou et varia parva regna suo quaeque Regulo subjacentia. Reguli illi alio titulo insigniti; quinque regna praeter cujusvis regni regulos peculiares regulum alium habebant et ducem

communem titulo Tchang designatum. Decem regna sub uno duce communi, qui erat de titulo Choai triginta regna sub uno duce qui erat de titulo Tching. 210 regna unam provinciam conficiebant dictam Tcheou sub uno duce qui titulo Pe gaudebat. Octo Pe principes ab uno duce qui erat de titulo Lao pendebant et ille Lao ab imperatore proxime pendebat. (Ita liber Li-ki.)

Principes autem Tcheou-kong et Chao-kong extra ordinem dignitate Pe fuerunt cohonestati; ita ut ambo regerent omnes regulos imperii. Tcheou-kong ad ortum provinciae Chen-si (id est ad ortum urbis regiae in Chen-si, item id est ad occasum ejusdem urbis Fong dictae) jura dabat, et Chao-kong ad occasum ejusdem provinciae: (ita interpretes).

Ode 6.

Hac ode innuitur mores opera principum Ou-ouang et Chao-kong correctos fuisse et nuptiarum celebrandarum formam legitimam invectam fuisse; mores enim pessimo imperatoris Tcheou-ouang exemplo pessum iverant.

De sponsalibus et matrimonio ineundo sic legitur in libro Li-ki: Nuptiarum conciliator ad juvenis, quem in sponsum deposcunt, aut nuptiarum conciliatrix ad puellae, quam in sponsam volunt, domum se confert; ille patrem, haec matrem monet, qui si annuerint, utrimque munera mittuntur, quae si utrimque accipiantur, rata sunt sponsalia, nec jam possunt rescindi; stantque firmius quam apud nos. Factis sponsalibus non licet sponso sponsae domum adire. Sponsa autem in signum sponsalium capillos suos supra caput collectos gerit. Quando matrimonium celebrandum est, sponsus sponsae obviam it, quam domum suam deducit; nec tamen celebrantur nuptiae, nisi post tres menses, interim

Ode 3 et 4.

His duabus amor conjugalis celebratur.

Planta Kue est montana, quae prius producit altum stipitem sine foliis et in ejus vertice tuberculum magnitudine infantilis pugni; ante quam protulerit folia, hujus radix evellitur et comeditur, aut succo extracto in farinam conteritur et adhibetur tempore caritatis annonae. Pro variis tempestatibus anni varias patitur mutationes; dicitur etiam Ouei.

Herba Ping vulgo Fou-ping est aquatilis, quemadmodum herba Tsao vulgo Tsu-tsao: quarum quae sit virtus non dicitur.

Domus Sinenses ab omni aevo ita positae sunt ut respiciant austrum; ab omni etiam antiquitate Sinenses ad angulum domi qui versus austrum et occidentem positus est praecipue attenderunt, hujus causam vaticinetur qui velit.

In 5.

Hac ode celebratur princeps Chao-kong qui suorum sibi animos devinxerat. Dicitur princeps ille sub arbore sedere solitus fuisse, et ibi suorum lites dijudicare; sic principis sui amantissimi meminerunt et hanc arborem laedere timebant.

Tang-li species pyri cujus fructus parvi, quando albescunt dulci sunt sapore, cum rubescunt acido sunt gustu.

Chao-pe est princeps Chao-kong qui titulo Pe cohonestatus fuerat. Ultra aulae imperatoris territorium, quod unum erat ex novem Tcheou sive una ex novem provinciis imperii, erant octo alia Tcheou et varia parva regna suo quaeque Regulo subjacentia. Reguli illi alio titulo insigniti; quinque regna praeter cujusvis regni regulos peculiares regulum alium habebant et ducem

communem titulo Tchang designatum. Decem regna sub uno duce communi, qui erat de titulo Choai triginta regna sub uno duce qui erat de titulo Tching. 210 regna unam provinciam conficiebant dictam Tcheou sub uno duce qui titulo Pe gaudebat. Octo Pe principes ab uno duce qui erat de titulo Lao pendebant et ille Lao ab imperatore proxime pendebat. (Ita liber Li-ki.)

Principes autem Tcheou-kong et Chao-kong extra ordinem dignitate Pe fuerunt cohonestati; ita ut ambo regerent omnes regulos imperii. Tcheou-kong ad ortum provinciae Chen-si (id est ad ortum urbis regiae in Chen-si, item id est ad occasum ejusdem urbis Fong dictae) jura dabat, et Chao-kong ad occasum ejusdem provinciae: (ita interpretes).

Ode 6.

Hac ode innuitur mores opera principum Ou-ouang et Chao-kong correctos fuisse et nuptiarum celebrandarum formam legitimam invectam fuisse; mores enim pessimo imperatoris Tcheou-ouang exemplo pessum iverant.

De sponsalibus et matrimonio ineundo sic legitur in libro Li-ki: Nuptiarum conciliator ad juvenis, quem in sponsum deposcunt, aut nuptiarum conciliatrix ad puellae, quam in sponsam volunt, domum se confert; ille patrem, haec matrem monet, qui si annuerint; utrimque munera mittuntur, quae si utrimque accipiantur, rata sunt sponsalia, nec jam possunt rescindi; stantque firmius quam apud nos. Factis sponsalibus non licet sponso sponsae domum adire. Sponsa autem in signum sponsalium capillos suos supra caput collectos gerit. Quando matrimonium celebrandum est, sponsus sponsae obviam it, quam domum suam deducit; nec tamen celebrantur nuptiae, nisi post tres menses, interim

sponsi thoro separati manent; adventante nuptiis dicto die sponsi jejunium servant, animum purgant suum ad coeleste auxilium impetrandum. Scribitur instrumentum authenticum matrimonii, invitantur cognati et omnes conveniunt in aulam majorum et ibi peraguntur stati ritus etc. qui ritus antiqui non multum abludunt ab hodiernis. Nunc matrimonii ritus est quod sponsus bibat primum et postea sponsa in eodem poculo vinum quod sponsus praegustavit bibat. De eodem agnomine non possunt matrimonio conjungi; haec lex est ab omni aevo in Sina. Concubina etiam et vir debent secundum librum laudatum Li-ki esse de alio agnomine; fuit autem semper multum discriminis inter liberos ab uxore et liberos a concubina susceptos.

Ode 7.

Aula principis Ouen-ouang celebratur qui aulicos suos humane tractabat, nec tamen eos luxu diffluere sinebat.

Varia fuit ratio vestium pro variis dynastiis; et in palatio etiamnum est apotheca ubi asservantur vestes aliae et aliae quas antiqui Sinae induerunt. Vestitus rationem solius erat imperatoris constituere. Praefectus erat qui vestium formae a legibus constitutae invigilaret. Suus erat vestibus color, sua erant ornamenta praescripta et varia pro varia cujusque vitae conditione.

Imperatoris vestes draconum figuris acu pictis, distinctae, regulum albo et nigro mixto colore, magnatum titulo Taï-fou nigro et viridi mixto colore, litteratorum titulo Chi vestes extimae violaceo et intimae roseo colore. Imperator pro diademate gerebat pileum variegato colore, et ex pileo in circuitu pendebant fasciolae numero duodecim, et fasciolis annexi erant uniones et gemmae: Regulorum diadema novem tantum

fasciolis, magnatum Taï-fou pileus septem aut quinque fasciolis. Pileo imponebantur flocci serici. Non licebat nisi regulis vestes habere acu pictas. Vestes pelliceae ab ultima antiquitate fuerunt in Sina tempore hiberno. Zonis quibus adaptabant uniones et gemmas cingebantur.

Variae etiam erant vestes pro variis temporibus et negotiis; tempore sacrificii imperator induebat vestes, quae coelum et coeli sidera repraesentabant; in ipsius pileo plantae et arbores depictae erant. Tempore calamitatis magnates tela induebantur, pileum ex tela alba gerebant, calceos ex corio; impexis capillis et unguibus decurtatis incedebant.

Tempore luctus vestes pro vario luctu variae. In remoto consanguineitatis gradu satis erat caput cingere tela alba: Induebantur sericis quibus intrinsecus assuebatur pannus flavus cum limbo subrubro; zona erat ex tela, capilli colligebantur in capitis vertice fune colligati. Auribus obversabantur laminae corneae etc. In magno luctu vestes ex tela cannabina alba, calceos ex palea induebant, incomtis capillis et baculo innixi incedebant. (Ita liber Li-ki.)

Ode 8.

Mulier inducitur virum suum laudans rebus imperii impigre vacantem cujus desiderio tenetur.

Ode 9.

Hac ode inducitur puella nubere cogitans et impuro amori se dedere renuens.

Mæi unde fructus Soan-mæi, quo aestate utuntur ad liquorem concinnandum refrigerativum, omnino corrosivus. Arbor flores profert albos et fructus similes mali armeniaci aut pruni.

Ode 10.

Exemplo Taï-see reginae uxoris Ouen-ouang, nobiles matronae servas suas benigne tractabant; et in hac ode inducuntur puellae quae impigre dominae suae adstant.

Tsen sive Tsan est in orione et Mao est lucida pleiadum. Haec duo sidera nomen suum etiamnunc retinent, et sunt duae ex 28 constellationibus Sinicis.

Ode 11.

Inducuntur servae quas domina sua male tractavit, de ea tamen graviter expostulare non ausae.

Ode 12.

Celebrantur castae puellae honestatis amantes.

Planta Mao in locis depressis altaque crescit; eam cooperiendis tuguriis et mappalibus adhibent.

Narrant de cervo, quod post mille annos nigrum induat colorem, post mille et quingentos album et post bis mille nigrum denuo induat. Cervum album habent pro fausto omine et pro signo quod sapiens sedeat in throno. Quod vivax sit cervus in Europa notum est, in historia Gallica legitur de cerva, quae regnante Carolo IX. a venatoribus deprehensa est collare gerens ubi scriptum erat eam ad Caesarem Augustum pertinuisse.

Ode 13.

Celebrantur nuptiae principis puellae a Ouen-ouang oriundae, nescitur quae sit illa.

Tang-ti arbor est species cerasi, alta arbor quae ad populum albam similitudine accedit, fructus fert similes malo armeniaco vel flavos vel rubros, quorum sapor dulcis et acidus, flores rubros ad album vergentes.

Imperatoris filia dicebatur Ki.

Ping-ouang, i. e. rex pacificus ita cognominabatur Ouen-ouang. Secundum alios his verbis innuitur

Ou-ouang qui dedit filiam suam uxorem filio Reguli Tsi.

Regnum Tsi in provincia Chan-Tong. De illo dicetur inferius.

Piscatio ut venatio suas habebat leges. Reguli et imperator piscationem exercebant.

Ode 14.

Celebratur Ouen-ouang venationis studiosus et peritus.

Tseou-yu est species tigridis aut pardi albo corpore, nigris maculis distincti, de quo narratur quod animalibus non vescatur, et nascentes herbas proculcare abstineat. Per Tseou-yu innuitur princeps Ouen-ouang.

Pong herba odorifera quae flante vento humi repit et in se revolvitur, sic dicitur priscos homines ab illa planta didicisse rotas construere. Lanuginem producit similem illius quam salix verno tempore cum folia agere incipit.

Notae in Caput 3.

REGNUM PII.

Hactenus mores optimi, nunc mores aliquantum depravati describuntur.

Sedes regia imperatoris Tcheou-ouang quem Ou-ouang debellavit, posita erat in provincia Ho-nan, in territorio hodiernae Ouei-houei-fou. Sedis hujus regiae territorium Ou-ouang divisit in tria regna. Quod erat ad boream appellavit Pii de quo nunc; quod ad ortum erat regnum appellavit Ouei, quod ad austrum Yong; quae tria regna ad regem Ouei deinde devenerunt. (Sic odae hujus capitis ad regnum Ouei referuntur; idem dicendum de odis capitis 4.) Imperator Ou-ouang dedit regnum Ouei fratri suo minori Kang-chou. Regna Yong et Pii, quibus primum data fuerint, nescitur.

Ode 1.

Mulier de viro suo, cui invisa erat, conqueritur.

Ode 2.

Haec 2. ode ita ut 1. facta esse dicitur a regina Tchouang-kiang quam regni Ouei regulus duxerat in uxorem et de gradu uxoris et reginae postea deturbavit propter amorem quo concubinam Taï-ouei suam deperibat. Regulus ille erat Tchouang-kong qui vivebat an. ant. Chr. 735; et regnare incepit an. 758.

Viridem colorem flocci, flavum autem magni faciunt Sinae.

Quaelibet dynastia suum eligit colorem, qui proprius sit dynastiae color; hodiernae est albus.

Ode 3.

Tchouang-kiang de qua superius sine liberis concubinae Taï-ouei dictae filium de nomine Ouan sibi in filium adoptavit, qui parenti mortuo successit, sed non ita multo post a fratre suo Tcheou-hiu occisus est usurpatumque regnum. Occisi reguli mater Taï-ouei procul amandatur, quam abeuntem comitatur regina Tchouang-kiang et est hujus odes argumentum.

Tchong est agnomen concubinae cujus nomen Taï-ouei.

Ode 4.

Argumentum idem ac od. 1 et 2.

Ode 5.

Argumentum idem quod supra.

Ode 6.

Inducitur miles loquens, qui ad bellum proficiscitur. De quo bello hic agatur non dicunt interpretes. Videtur esse bellum peculiare.

De re militari sic refert liber Li-ki classicus.

Antiquitus Sinae vel ipsi litterati sagittam et arcum tractare studiose discebant; idque in more erat ut recens nato puero ad domi valvas arcum et sagittam suspenderent in signum recens nati futurae in arcu tractando diligentiae. Disciplinam militarem servari curabant et dux militum, milites suos ad venationem, quod erat exercitium militare, ducendo, attendebat, ut milites venationis regulas rite servarent, unde belli legibus parere discerent. Multum ponebant in viribus militis, ejus corporis dexteritate, et regendi currus militaris solertia. Exercitus non solum equitatu et curruum apparatu sed peditatu etiam constabat. Reguli confoederati ad bellum commune gerendum foedus ineuntes jure jurando fidem suam sibi obstringebant, pecudes mactabant, sanguinem potabant et quicumque fidem violaturus esset, precabantur ei maximas poenas a summo rerum domino Deo infligendas. Formula juris jurandi quod praestabant, testem appellando Deum scribebatur, recitabatur et comburebatur. Ante quam ad bellum proficiscerentur a Deo erat principium belli, et coeli domino sacrificium solenne faciebant. Causa belli pro imperatore plerumque erat Tartarorum et aliorum barbarorum, vel quod regulus imperii imperatori clientelam profiteri, et in aulam obsequii causa venire negaret.

Reguli etiam inter se privata gerebant bella (tale est bellum de quo hac ode) sive cum facultate sive nulla facultate imperatoris. Aliquando imperator ipse exercitum ducebat, aliquando non, tunc ducem alium exercitui praeficiebat, alias regulum, alias alium; qui autem ab imperatore imperator exercitus praeponebatur, arcu et sagitta plerumque ab imperatore donabatur; securi autem et falce donabatur, cum nulla spes veniae rebellibus relinquebatur.

In certamine autem sic ordinabatur acies: sagittarii ad sinistram, qui hastam et jaculum tractabant ad dextram, currus militares in medio. Exercitus dux primarius in medio post cymbala stabat. Qui in bello cadebant hostes illorum capita amputabantur et ad currum colligata deferebat quisque ad virtutem suam suo principi testificandam. Qui capiebantur hostes, aut occidebantur, aut aure sinistra minuebantur; qui ceciderat in bello fortiter, illius exequiae magnifice regis mandato fiebant. Sed de hoc plura inferius.

Regio Tsao in regno Ouei de quo superius.

Regnum Tchin erat in territorio hodiernae Kai-fong-fou in provincia Ho-nan.

Regnum Song in Ho-nan provincia; in territorio hodiernae Kouei-te-fou.

Ode 7.

Inducuntur loquentes fratres septem, quorum mater vidua licentiorem vitam agebat. De hac ode fit mentio apud Mencium Philosophum.

Tsun regio in regno Ouei de quo superius.

De avi Hoang-niao vid. notas in I. 1. 2.

Ode 8.

Mulier mariti sui desiderio tenetur.

Ode 9.

Hominum illius aetatis carpitur effraenata libido et ad legitimam nuptiarum rationem servandam fit adhortatio.

Ode 10.

Haec ode a muliere quam maritus repudiavit scripta esse dicitur. Conjugum jura ab omni aevo sacra inter Sinenses fuerunt; vir potest pro arbitrio a se repudiare concubinas quidem, non vero legitimam uxorem sine

gravissima causa a legibus praescripta. Uxor autem nunquam potest cum viro facere per se divortium.

Fong est species rapae vulgo Man-kin.

Fæi, planta crasso stipite, foliis spissis et oblongis edulis.

Tou vulgo Kiu-ma-tsai est species cichoreae sylvestris quam colligunt et comedunt.

Tsi sive Tsi-li est planta repens, spinosa, cujus semina curandis oculis apta et edulia.

King, Ouei amnes duo; hujus aquae limpidae, illius autem turbidae; ille in hunc confluit, hic vero in fluvium Hoang-ho; uterque originem suam habet in provincia Chen-si et suum nomen etiamnum retinet.

Ode 11.

Hac ode inducitur quidam regulum suum profugum in exteras regiones secutus eumque adhortans ad reditum.

Regulus ille erat regni Li in Chen-si provincia positi. Hujus regnum barbari boreales sive Tartari invaserant; et regulus de solio deturbatus in regnum Ouei de quo supra, confugit.

Barbari alii Man, alii Y, alii Ti, alii Yong dicti. Barbari Man erant australes, varias notas in fronte imprimere solebant, varis pedibus et introrsum contortis, multi ex illis nihil cocti comedere solebant. Populi in Tong-king et Cochinchina etiamnum vocantur Kiao-tchi, scilicet varis pedibus homines.

Barbari Y dicti erant orientales, nexis et supra humeros pendentibus capillis, corpus variis pigmentis depingere solebant; ex illis multi erant qui nihil nisi crudi in cibum adhiberent.

Barbari Ti de quibus in hac ode, erant boreales, ex avium plumis vestes suas conficiebant, in antris subter-

In certamine autem sic ordinabatur acies: sagittarii ad sinistram, qui hastam et jaculum tractabant ad dextram, currus militares in medio. Exercitus dux primarius in medio post cymbala stabat. Qui in bello cadebant hostes illorum capita amputabantur et ad currum colligata deferebat quisque ad virtutem suam suo principi testificandam. Qui capiebantur hostes, aut occidebantur, aut aure sinistra minuebantur; qui ceciderat in bello fortiter, illius exequiae magnifice regis mandato fiebant. Sed de hoc plura inferius.

Regio Tsao in regno Ouei de quo superius.

Regnum Tchin erat in territorio hodiernae Kai-fong-fou in provincia Ho-nan.

Regnum Song in Ho-nan provincia; in territorio hodiernae Kouei-te-fou.

Ode 7.

Inducuntur loquentes fratres septem, quorum mater vidua licentiorem vitam agebat. De hac ode fit mentio apud Mencium Philosophum.

Tsun regio in regno Ouei de quo superius.

De avi Hoang-niao vid. notas in I. 1. 2.

Ode 8.

Mulier mariti sui desiderio tenetur.

Ode 9.

Hominum illius aetatis carpitur effraenata libido et ad legitimam nuptiarum rationem servandam fit adhortatio.

Ode 10.

Haec ode a muliere quam maritus repudiavit scripta esse dicitur. Conjugum jura ab omni aevo sacra inter Sinenses fuerunt; vir potest pro arbitrio a se repudiare concubinas quidem, non vero legitimam uxorem sine

gravissima causa a legibus praescripta. Uxor autem nunquam potest cum viro facere per se divortium.

Fong est species rapae vulgo Man-kin.

Fæi, planta crasso stipite, foliis spissis et oblongis edulis.

Tou vulgo Kiu-ma-tsai est species cichoreae sylvestris quam colligunt et comedunt.

Tsi sive Tsi-li est planta repens, spinosa, cujus semina curandis oculis apta et edulia.

King, Ouei amnes duo; hujus aquae limpidae, illius autem turbidae; ille in hunc confluit, hic vero in fluvium Hoang-ho; uterque originem suam habet in provincia Chen-si et suum nomen etiamnum retinet.

Ode 11.

Hac ode inducitur quidam regulum suum profugum in exteras regiones secutus eumque adhortans ad reditum.

Regulus ille erat regni Li in Chen-si provincia positi. Hujus regnum barbari boreales sive Tartari invaserant; et regulus de solio deturbatus in regnum Ouei de quo supra, confugit.

Barbari alii Man, alii Y, alii Ti, alii Yong dicti. Barbari Man erant australes, varias notas in fronte imprimere solebant, varis pedibus et introrsum contortis, multi ex illis nihil cocti comedere solebant. Populi in Tong-king et Cochinchina etiamnum vocantur Kiao-tchi, scilicet varis pedibus homines.

Barbari Y dicti erant orientales, nexis et supra humeros pendentibus capillis, corpus variis pigmentis depingere solebant; ex illis multi erant qui nihil nisi crudi in cibum adhiberent.

Barbari Ti de quibus in hac ode, erant boreales, ex avium plumis vestes suas conficiebant, in antris subter-

raneis degebant, multi ex illis frumento non vescebantur.

Barbari Yong occidentales nexis capillis et promissis, pelles bestiarum non paratas induebant, et plurimi frumento non vescebantur (sic refert Li-ki liber). Sinense imperium erat illorum barbarorum excursionibus usque pervium, et, medio positum, nomen Tchong-koue sortiebatur.

Antiquum regnum sive imperium Sinense constabat provinciis Chen-si, Chan-si, Pe-tche-li, Honan et Chan-tong. Barbarae illae nationes occupabant Tartariam, Koream, Tongkinum, Cochinchinam et caeteras hodierni imperii Sinensis provincias, quae serie temporum in imperium Sinense coaluerunt. Quidquid glorientur litterati Sinenses de antiqui imperii Sinensis amplitudine, non videtur fines imperii Sinensis antiquos ulterius fuisse productos.

Ode 12.

Hujus odes argumentum refertur ad oden superiorem. Profugi reguli proceres de regni Ouei proceribus, sive de Regulo ipso conqueruntur, cujus in ope ferenda regulo profugo segnitiem accusant; quod est hujus odes argumentum.

Regni Ouei Regulus, qui regni Li Regulo auxilium praestare negaverat, ipse, ab iisdem barbaris depulsus a regno suo, a Tsi regni regulo, regno suo restitutus fuit ann. ant. Chr. 660.

Ko; de hac planta vid. notam in I. 1. 2.

Chou-hi, Pe-hi erant duo magnates in regno Ouei, erant fortasse regni duo administri.

Ode 13.

Hac ode inducitur quidam qui cum ad imperii primarias dignitates pervenire non potuisset et curam mu-

sicae tantum obtinuisset, de se magnifice in speciem, revera jocularem in modum loquitur.

Saltatio hodierna Sinensis fere non sita est, nisi in levi pedum, brachiorum et capitis motu modulato, quin saltans ex loco in locum progrediatur; secus autem Tartarorum saltatio, quae a nostra non multum abludit.

Quod ad antiquam saltationem pertinet, legitur, saltationem fuisse unam ex publicis exercitationibus, in quibus exercebantur alumni in publicis collegiis sive academiis: saltationem frequentem fuisse in caerimoniis sive lugubribus sive festivis, in convivio senibus auctoritate regia parato, necnon in parentalibus: duas fuisse saltationis species, unam pacis, alteram belli, in illa qui saltabat avis plumam, in hac autem lanceam aut ensem prae manibus habere. Legitur etiam principes Ouen-ouang et Ou-ouang saltationes nonnullas instituisse.

Quemadmodum fortis viri animum cum leone conferimus, ita Sinae cum tigride eum comparant.

Fistula de qua hic agitur, transverse inflatur, sex ut plurimum, et tribus aliquando foraminibus instruitur. Qui saltabant, ista manibus gerebant ad leporem et gratiam.

Vir praeclarus, Ouen-ouang scilicet secundum nonnullos.

Ode 14.

Hac ode inducitur regina quaedam ex regno Ouei oriunda parentum suorum et patriae desiderio affecta cum suis colloquens.

Rivi illi in provinciae Ho-nan territorio Tchang-te-fou.

Ode 15.

In summis rerum angustiis magnas quidam gravius conqueri non ausus in coelesti consilio omnino conquiescit, et providentiam divinam agnoscit.

Haec ode alludit turbis quibus regnum Ouei conflictabatur. Vid. notas in I. 3. 12.

Ode 16.

Haec ode refertur ad superiora; cum regnum Ouei malo sit statu, hujus regni homines procul abire cogitant, ut se ex regni procellis proripiant.

Vulpes et corvi sunt malo omini.

Ode 18 et 19.

Hae duae odae alludunt rei in regno Ouei gestae, quam sic narrant. Suen-kong-Ouei Regulus, regni Tsi Reguli filiam postulaverat in Ki filii sui haeredis designati uxorem, quam Suen-kong adamavit et ipse in suam uxorem accepit; illa est Suen-kiang regina, de qua inferius et his duabis odis. 19. ode conqueritur mulier illa nuptias suas cum viro aetate provectiori.

Suen-kiang regina duos peperit filios quorum unus de nomine Cheou, alter Cho. Regulus Suen-kong uxorem et liberos quos ex ea susceperat unice amabat; quare mentem suam simulans principem haeredem Ki in regnum Tsi legat; interea jubet loco dicto adesse sicarium qui principi in itinere necem inferat; cum princeps Cheou hoc rescivisset, nulla mora de hoc patris consilio principem haeredem certiorem facit, qui ad tale nuntium, si patri, inquit, placet ut moriar, quidni moriar? patri est parendum. Princeps Cheou fratrem suum principem haeredem ejusmodi animo esse cernens, principis haeredis in regnum Tsi legati insignia clam arripit, et properat in locum ubi sicarius legatum manebat, et a sicario per errorem trucidatur;

interim advenit princeps haeres a patre legatus, a sicario quaerit, quid innocentem occiderit. Ego, inquit, ego occidi debeo, sic jubet pater: interfice me, sic fert mandatum Regis: quibus dictis et ipse interfectus est anno ante Chr. 701.

19. odes argumentum est Suen-kiang de filiis suis sollicita.

Agger ille erectus fuit juxta amnem Ouei ut arbitrantur, occasione nuptiarum Reguli Ouei cum Suen-kiang; et regni homines, hoc matrimonium aegre ferentes, hoc carmen scripserunt, quo Reguli sui libidinem carperent.

Notae in Caput 4.

De regno Yong, cujus hic mores canuntur, vid. notas initio capitis 3.

Ode 1.

Vidua hac oda inducitur quae alteras nuptias recusat. Multi faciunt Sinae mulieres illas quae ad alteras nuptias convolare recusant, immo sponsas puellas quae mortuo sponso alteri nubere nolunt; his auctoritate regia publici honores decernuntur. Quem morem ad rectam puerorum institutionem pertinere existimant. Exemplum hujus in primis insigne fuit in christiana regio sanguine familia hic Pekini. Ex illa familia juvenis princeps nondum matrimonio maturus sponsam suam habebat, quae puella magnatis filia in domo paterna manebat donec nuptiae celebrarentur; interea familia christiana in odium Christi opibus et honoribus privatur. Sponsus in vincula conjicitur matrimonii ineundi tempore; sponsa reluctantibus parentibus et cognatis fidem sponso datam servans in carcerem se confert, initque matrimonium,

et quae infidelis erat, summo Dei beneficio christiana facta est.

Antiquitus in more erat positum, ut recens natis cum ad tertium mensem adolevissent, tonderentur capilli non omnino, et pars capitis non tonsa servabatur ad mortem parentum usque. Hunc tondendi morem etiamnum retinent, neque aliam sic tondendi pueri causam afferunt, quam quod pueri valetudini praecavere volunt.

Ode 2.

Hac ode carpitur Suen-kiang, de qua vide I. 3. 18., quae mortuo marito Regulo Suen-kong licentius vivebat cum Ouan principe, quem Suen-kong filium susceperat ex concubina.

Ode 3.

Argumentum idem et mundus muliebris describitur.

Ode 4.

Hac ode carpuntur tunc temporis mores licentiores.

Tang herba medicinalis vulgo Tou-see-tsee (dicitur etiam Mong-tsaï) odorifera, dulci sapore, confortativa, multi fit.

Fong rapa Man-kin, in parte boreali est rapa et genus sinapi; in parte australi non est rapa.

Ode 5.

Princeps Houei-kong regni Ouéi Regulus regnavit post Suen-kong patrem suum; ille est Cho de quo supra; et qui hac ode matris suae Suen-kiang vitam licentiorem accusat. Houei-kong regnare coepit a. a. Chr. n. 699.

Ille est Ouan frater reguli Ouei-kong; vid. notas in I. 4. 2. Magna est reverentia fratris minoris erga fratrem majorem apud Sinas; sic Houei-kong, licet Regulus, de Ouan suo fratre majore reverenter loquitur eumque dominum appellat.

Ode 6.

Haec ode scripta est occasione principis Ouen-kong, cujus patre Y-kong regni Ouei Regulo a barbaris borealibus in pugna occiso, ipse avito regno privatus in regnum Tchou, in hodierna Ho-nan provincia positum, confugit; in hujus regni regione Tchou-kiou dicta, in territorio hodiernae Kouei-te-fou sita Regulus profugus sedem fixit, et ibi aedes regias construxit. Qui Ouen-kong autem vivebat a. 660 a. Chr. n.

Sidus Ting vel Ing-che, vel Che-fieou est in Pegaso; duabus stellis constat, una est ala extrema in lumbis, altera australior duarum in genu dextro. Quando hoc sidus vespere in meridiano versatur, tunc aptum esse tempus aedibus construendis existimabant, quod innuit nomen ipsum sideris, quod nunc de nomine Ting non dicitur, sed de nomine Ing-che vel Che-fieou potius, estque una inter 28 constellationes Sinicas.

Ope gnomonis, ut ait interpres, octo pedibus alti quatuor plagae mundi in loco determinabantur tempore meridiano.

Y vulgo Ou-tong arbor est similis arbori Tong de qua modo videbitur. Illa est arbor ex cujus ligno praecipue fiunt instrumenta musica Kin et Che.

Tong arbor unde oleum Tong-yeou, de qua arbore alii multa in Europam scripsere.

Tsee arbor ex cujus ligno conficiebant tabellas in quibus characteres sculpebant, et hae tabellae erant antiquitus pro libris.

Tsi arbor unde verniceum Tsi etiam dictum, de quo multa alii. Vid. notas in I. 10. 2.

De Kin et Che vid. notas in I. 1. 1.

Liber Chou-king capite Hong-fan disserit de origine sortium quibus utendum esse dicit solum in

Ode 1.

Mulier de viro suo, cui invisa erat, conqueritur.

Ode 2.

Haec 2. ode ita ut 1. facta esse dicitur a regina Tchouang-kiang quam regni Ouei regulus duxerat in uxorem et de gradu uxoris et reginae postea deturbavit propter amorem quo concubinam Taï-ouei suam deperibat. Regulus ille erat Tchouang-kong qui vivebat an. ant. Chr. 735; et regnare incepit an. 758.

Viridem colorem flocci, flavum autem magni faciunt Sinae.

Quaelibet dynastia suum eligit colorem, qui proprius sit dynastiae color; hodiernae est albus.

Ode 3.

Tchouang-kiang de qua superius sine liberis concubinae Taï-ouei dictae filium de nomine Ouan sibi in filium adoptavit, qui parenti mortuo successit, sed non ita multo post a fratre suo Tcheou-hiu occisus est usurpatumque regnum. Occisi reguli mater Taï-ouei procul amandatur, quam abeuntem comitatur regina Tchouang-kiang et est hujus odes argumentum.

Tchong est agnomen concubinae cujus nomen Taï-ouei.

Ode 4.

Argumentum idem ac od. 1 et 2.

Ode 5.

Argumentum idem quod supra.

Ode 6.

Inducitur miles loquens, qui ad bellum proficiscitur. De quo bello hic agatur non dicunt interpretes. Videtur esse bellum peculiare.

De re militari sic refert liber Li-ki classicus.

Antiquitus Sinae vel ipsi litterati sagittam et arcum tractare studiose discebant; idque in more erat ut recens nato puero ad domi valvas arcum et sagittam suspenderent in signum recens nati futurae in arcu tractando diligentiae. Disciplinam militarem servari curabant et dux militum, milites suos ad venationem, quod erat exercitium militare, ducendo, attendebat, ut milites venationis regulas rite servarent, unde belli legibus parere discerent. Multum ponebant in viribus militis, ejus corporis dexteritate, et regendi currus militaris solertia. Exercitus non solum equitatu et curruum apparatu sed peditatu etiam constabat. Reguli confoederati ad bellum commune gerendum foedus ineuntes jure jurando fidem suam sibi obstringebant, pecudes mactabant, sanguinem potabant et quicumque fidem violaturus esset, precabantur ei maximas poenas a summo rerum domino Deo infligendas. Formula juris jurandi quod praestabant, testem appellando Deum scribebatur, recitabatur et comburebatur. Ante quam ad bellum proficiscerentur a Deo erat principium belli, et coeli domino sacrificium solenne faciebant. Causa belli pro imperatore plerumque erat Tartarorum et aliorum barbarorum, vel quod regulus imperii imperatori clientelam profiteri, et in aulam obsequii causa venire negaret.

Reguli etiam inter se privata gerebant bella (tale est bellum de quo hac ode) sive cum facultate sive nulla facultate imperatoris. Aliquando imperator ipse exercitum ducebat, aliquando non, tunc ducem alium exercitui praeficiebat, alias regulum, alias alium; qui autem ab imperatore imperator exercitus praeponebatur, arcu et sagitta plerumque ab imperatore donabatur; securi autem et falce donabatur, cum nulla spes veniae rebellibus relinquebatur.

In certamine autem sic ordinabatur acies: sagittarii ad sinistram, qui hastam et jaculum tractabant ad dextram, currus militares in medio. Exercitus dux primarius in medio post cymbala stabat. Qui in bello cadebant hostes illorum capita amputabantur et ad currum colligata deferebat quisque ad virtutem suam suo principi testificandam. Qui capiebantur hostes, aut occidebantur, aut aure sinistra minuebantur; qui ceciderat in bello fortiter, illius exequiae magnifice regis mandato fiebant. Sed de hoc plura inferius.

Regio Tsao in regno Ouei de quo superius.

Regnum Tchin erat in territorio hodiernae Kai-fong-fou in provincia Ho-nan.

Regnum Song in Ho-nan provincia; in territorio hodiernae Kouei-te-fou.

Ode 7.

Inducuntur loquentes fratres septem, quorum mater vidua licentiorem vitam agebat. De hac ode fit mentio apud Mencium Philosophum.

Tsun regio in regno Ouei de quo superius.

De avi Hoang-niao vid. notas in I. 1. 2.

Ode 8.

Mulier mariti sui desiderio tenetur.

Ode 9.

Hominum illius aetatis carpitur effraenata libido et ad legitimam nuptiarum rationem servandam fit adhortatio.

Ode 10.

Haec ode a muliere quam maritus repudiavit scripta esse dicitur. Conjugum jura ab omni aevo sacra inter Sinenses fuerunt; vir potest pro arbitrio a se repudiare concubinas quidem, non vero legitimam uxorem sine

gravissima causa a legibus praescripta. Uxor autem nunquam potest cum viro facere per se divortium.

Fong est species rapae vulgo Man-kin.

Fæi, planta crasso stipite, foliis spissis et oblongis edulis.

Tou vulgo Kiu-ma-tsai est species cichoreae sylvestris quam colligunt et comedunt.

Tsi sive Tsi-li est planta repens, spinosa, cujus semina curandis oculis apta et edulia.

King, Ouei amnes duo; hujus aquae limpidae, illius autem turbidae; ille in hunc confluit, hic vero in fluvium Hoang-ho; uterque originem suam habet in provincia Chen-si et suum nomen etiamnum retinet.

Ode 11.

Hac ode inducitur quidam regulum suum profugum in exteras regiones secutus eumque adhortans ad reditum.

Regulus ille erat regni Li in Chen-si provincia positi. Hujus regnum barbari boreales sive Tartari invaserant; et regulus de solio deturbatus in regnum Ouei de quo supra, confugit.

Barbari alii Man, alii Y, alii Ti, alii Yong dicti. Barbari Man erant australes, varias notas in fronte imprimere solebant, varis pedibus et introrsum contortis, multi ex illis nihil cocti comedere solebant. Populi in Tong-king et Cochinchina etiamnum vocantur Kiao-tchi, scilicet varis pedibus homines.

Barbari Y dicti erant orientales, nexis et supra humeros pendentibus capillis, corpus variis pigmentis depingere solebant; ex illis multi erant qui nihil nisi crudi in cibum adhiberent.

Barbari Ti de quibus in hac ode, erant boreales, ex avium plumis vestes suas conficiebant, in antris subter-

raneis degebant, multi ex illis frumento non vescebantur.

Barbari Yong occidentales nexis capillis et promissis, pelles bestiarum non paratas induebant, et plurimi frumento non vescebantur (sic refert Li-ki liber). Sinense imperium erat illorum barbarorum excursionibus usque pervium, et, medio positum, nomen Tchong-koue sortiebatur.

Antiquum regnum sive imperium Sinense constabat provinciis Chen-si, Chan-si, Pe-tche-li, Honan et Chan-tong. Barbarae illae nationes occupabant Tartariam, Koream, Tongkinum, Cochinchinam et caeteras hodierni imperii Sinensis provincias, quae serie temporum in imperium Sinense coaluerunt. Quidquid glorientur litterati Sinenses de antiqui imperii Sinensis amplitudine, non videtur fines imperii Sinensis antiquos ulterius fuisse productos.

Ode 12.

Hujus odes argumentum refertur ad oden superiorem. Profugi reguli proceres de regni Ouei proceribus, sive de Regulo ipso conqueruntur, cujus in ope ferenda regulo profugo segnitiem accusant; quod est hujus odes argumentum.

Regni Ouei Regulus, qui regni Li Regulo auxilium praestare negaverat, ipse, ab iisdem barbaris depulsus a regno suo, a Tsi regni regulo, regno suo restitutus fuit ann. ant. Chr. 660.

Ko; de hac planta vid. notam in I. 1. 2.

Chou-hi, Pe-hi erant duo magnates in regno Ouei, erant fortasse regni duo administri.

Ode 13.

Hac ode inducitur quidam qui cum ad imperii primarias dignitates pervenire non potuisset et curam mu-

sicae tantum obtinuisset, de se magnifice in speciem, revera jocularem in modum loquitur.

Saltatio hodierna Sinensis fere non sita est, nisi in levi pedum, brachiorum et capitis motu modulato, quin saltans ex loco in locum progrediatur; secus autem Tartarorum saltatio, quae a nostra non multum abludit.

Quod ad antiquam saltationem pertinet, legitur, saltationem fuisse unam ex publicis exercitationibus, in quibus exercebantur alumni in publicis collegiis sive academiis: saltationem frequentem fuisse in caerimoniis sive lugubribus sive festivis, in convivio senibus auctoritate regia parato, necnon in parentalibus: duas fuisse saltationis species, unam pacis, alteram belli, in illa qui saltabat avis plumam, in hac autem lanceam aut ensem prae manibus habere. Legitur etiam principes Ouen-ouang et Ou-ouang saltationes nonnullas instituisse.

Quemadmodum fortis viri animum cum leone conferimus, ita Sinae cum tigride eum comparant.

Fistula de qua hic agitur, transverse inflatur, sex ut plurimum, et tribus aliquando foraminibus instruitur. Qui saltabant, ista manibus gerebant ad leporem et gratiam.

Vir praeclarus, Ouen-ouang scilicet secundum nonnullos.

Ode 14.

Hac ode inducitur regina quaedam ex regno Ouei oriunda parentum suorum et patriae desiderio affecta cum suis colloquens.

Rivi illi in provinciae Ho-nan territorio Tchang-te-fou.

Ode 15.

In summis rerum angustiis magnas quidam gravius conqueri non ausus in coelesti consilio omnino conquiescit, et providentiam divinam agnoscit.

Haec ode alludit turbis quibus regnum Ouei conflictabatur. Vid. notas in I. 3. 12.

Ode 16.

Haec ode refertur ad superiora; cum regnum Ouei malo sit statu, hujus regni homines procul abire cogitant, ut se ex regni procellis proripiant.

Vulpes et corvi sunt malo omini.

Ode 18 et 19.

Hae duae odae alludunt rei in regno Ouei gestae, quam sic narrant. Suen-kong-Ouei Regulus, regni Tsi Reguli filiam postulaverat in Ki filii sui haeredis designati uxorem, quam Suen-kong adamavit et ipse in suam uxorem accepit; illa est Suen-kiang regina, de qua inferius et his duabis odis. 19. ode conqueritur mulier illa nuptias suas cum viro aetate provectiori.

Suen-kiang regina duos peperit filios quorum unus de nomine Cheou, alter Cho. Regulus Suen-kong uxorem et liberos quos ex ea susceperat unice amabat; quare mentem suam simulans principem haeredem Ki in regnum Tsi legat; interea jubet loco dicto adesse sicarium qui principi in itinere necem inferat; cum princeps Cheou hoc rescivisset, nulla mora de hoc patris consilio principem haeredem certiorem facit, qui ad tale nuntium, si patri, inquit, placet ut moriar, quidni moriar? patri est parendum. Princeps Cheou fratrem suum principem haeredem ejusmodi animo esse cernens, principis haeredis in regnum Tsi legati insignia clam arripit, et properat in locum ubi sicarius legatum manebat, et a sicario per errorem trucidatur;

interim advenit princeps haeres a patre legatus, a sicario quaerit, quid innocentem occiderit. Ego, inquit, ego occidi debeo, sic jubet pater: interfice me, sic fert mandatum Regis: quibus dictis et ipse interfectus est anno ante Chr. 701.

19. odes argumentum est Suen-kiang de filiis suis sollicita.

Agger ille erectus fuit juxta amnem Ouei ut arbitrantur, occasione nuptiarum Reguli Ouei cum Suen-kiang; et regni homines, hoc matrimonium aegre ferentes, hoc carmen scripserunt, quo Reguli sui libidinem carperent.

NOTAE IN CAPUT 4.

De regno Yong, cujus hic mores canuntur, vid. notas initio capitis 3.

Ode 1.

Vidua hac oda inducitur quae alteras nuptias recusat. Multi faciunt Sinae mulieres illas quae ad alteras nuptias convolare recusant, immo sponsas puellas quae mortuo sponso alteri nubere nolunt; his auctoritate regia publici honores decernuntur. Quem morem ad rectam puerorum institutionem pertinere existimant. Exemplum hujus in primis insigne fuit in christiana regio sanguine familia hic Pekini. Ex illa familia juvenis princeps nondum matrimonio maturus sponsam suam habebat, quae puella magnatis filia in domo paterna manebat donec nuptiae celebrarentur; interea familia christiana in odium Christi opibus et honoribus privatur. Sponsus in vincula conjicitur matrimonii ineundi tempore; sponsa reluctantibus parentibus et cognatis fidem sponso datam servans in carcerem se confert, initque matrimonium,

et quae infidelis erat, summo Dei beneficio christiana facta est.

Antiquitus in more erat positum, ut recens natis cum ad tertium mensem adolevissent, tonderentur capilli non omnino, et pars capitis non tonsa servabatur ad mortem parentum usque. Hunc tondendi morem etiamnum retinent, neque aliam sic tondendi pueri causam afferunt, quam quod pueri valetudini praecavere volunt.

Ode 2.

Hac ode carpitur Suen-kiang, de qua vide I. 3. 18., quae mortuo marito Regulo Suen-kong licentius vivebat cum Ouan principe, quem Suen-kong filium susceperat ex concubina.

Ode 3.

Argumentum idem et mundus muliebris describitur.

Ode 4.

Hac ode carpuntur tunc temporis mores licentiores.

Tang herba medicinalis vulgo Tou-see-tsee (dicitur etiam Mong-tsaï) odorifera, dulci sapore, confortativa, multi fit.

Fong rapa Man-kin, in parte boreali est rapa et genus sinapi; in parte australi non est rapa.

Ode 5.

Princeps Houei-kong regni Ouei Regulus regnavit post Suen-kong patrem suum; ille est Cho de quo supra; et qui hac ode matris suae Suen-kiang vitam licentiorem accusat. Houei-kong regnare coepit a. a. Chr. n. 699.

Ille est Ouan frater reguli Ouei-kong; vid. notas in I. 4. 2. Magna est reverentia fratris minoris erga fratrem majorem apud Sinas; sic Houei-kong, licet Regulus, de Ouan suo fratre majore reverenter loquitur eumque dominum appellat.

Ode 6.

Haec ode scripta est occasione principis Ouen-kong, cujus patre Y-kong regni Ouei Regulo a barbaris borealibus in pugna occiso, ipse avito regno privatus in regnum Tchou, in hodierna Ho-nan provincia positum, confugit; in hujus regni regione Tchou-kiou dicta, in territorio hodiernae Kouei-te-fou sita Regulus profugus sedem fixit, et ibi aedes regias construxit. Qui Ouen-kong autem vivebat a. 660 a. Chr. n.

Sidus Ting vel Ing-che, vel Che-fieou est in Pegaso; duabus stellis constat, una est ala extrema in lumbis, altera australior duarum in genu dextro. Quando hoc sidus vespere in meridiano versatur, tunc aptum esse tempus aedibus construendis existimabant, quod innuit nomen ipsum sideris, quod nunc de nomine Ting non dicitur, sed de nomine Ing-che vel Che-fieou potius, estque una inter 28 constellationes Sinicas.

Ope gnomonis, ut ait interpres, octo pedibus alti quatuor plagae mundi in loco determinabantur tempore meridiano.

Y vulgo Ou-tong arbor est similis arbori Tong de qua modo videbitur. Illa est arbor ex cujus ligno praecipue fiunt instrumenta musica Kin et Che.

Tong arbor unde oleum Tong-yeou, de qua arbore alii multa in Europam scripsere.

Tsee arbor ex cujus ligno conficiebant tabellas in quibus characteres sculpebant, et hae tabellae erant antiquitus pro libris.

Tsi arbor unde verniceum Tsi etiam dictum, de quo multa alii. Vid. notas in I. 10. 2.

De Kin et Che vid. notas in I. 1. 1.

Liber Chou-king capite Hong-fan disserit de origine sortium quibus utendum esse dicit solum in

re dubia, cum dubium solvendi non superest alia via. Vid. notas in I. 5. 4.

Homo ille, Ouen-kong scilicet.

Mensurae antiquae aliàe ac hodiernae, et pes antiquus longe minor vid. notas in I. 9. 5.

Ode 7.

Carpitur vita licentior.

Tunc et etiamnum viget superstitio qua iridem orientalem digito monstrare nefas esse credunt, qui hanc monstraverit, huic subito ulcus in manu futurum. Iridem habebant Sinae pro signo libidinis effraenatae quae regnat.

Ode 8.

Argumentum idem.

Ode 9.

De quo agatur, vide ode 10.

Tsun in regno Ouei regio.

Ti avis, de hac avi vid. I. 14. 2. Vexilla erecta in parte posteriori currus, et erant pili bovinae caudae ex hastili pensiles; inter signa militaria etiamnunc sunt ejusmodi.

Ode 10.

Regina parvi regni Hiu dicti ad occasum Kouei-te-fou, Ho-nan provincia, positi, inducitur loquens; haec regni Ouei regulo Suen-kong patre, matre Suen-kiang nata, et regulo Hiu nupta, cladem, de qua ode 6, audiens et suorum vicem dolens parentes pergit solatura.

Sed missus erat magnas ad illam ab itinere revocandam, ille est de quo ode 9. superiore. In more erat ut nupta mortuis parentibus in paternam domum redire non posset; sic magnas mittebatur, qui eam a suscepto itinere deterreret et ad regrediendum hortaretur.

Taï-fou titulus magnatum regni aut imperii, in varios ordines distributi, alii aliis titulis gaudebant. Reipublicae gèrendae praepositi erant; doctores autem Chi dicti populos erudiendos curabant. Post Regulos sequebantur magnates Taï-fou; illi regionis et regni regimini, hi urbis gubernio praeficiebantur.

Mang vulgo Pæi-mou quam mulieres frequenter adhibent in medicinam. Haec planta apta est purgandis humoribus et melancholiae sanandae.

NOTAE IN CAPUT 5.

Licet duo capita superiora alium titulum praeferentia de regno Ouei tractaverint, caput sequens in eadem materia versatur, de eodem regno adhuc agit; et regni Ouei de quo capitis 3. ode 1 disseruimus, titulum prae se fert.

In oden 1.

Hac ode celebratur regni Ouei Regulus Ou-kong qui nonagenario major, studio virtutis addictissimus erat. Ille fuit pater principis Tchouang-kong de cujus uxore in capitis 3, 1. et 2. ode. Princeps Ou-kong mortuus est ann. ant. Chr. 758.

Prima stropha refertur in tetrabiblii libro Ta-hio.

Kouei et Pi manibus tenebantur, cum se imperatori sisterent, et ori admovebantur, ne halitus loquentis audienti noceret. Erant etiam insignia regulorum et magnatum. Kouei figura oblonga, semiovalis figuram referens.

Pi figura rotonda, foramen rotundum in medio.

Ode 2.

De quo agatur non dicitur.

Ode 3.

Epithalamium est Ouei regni reginae Tchouang-kiang dictae de qua I. 3., 1. et 2.

Tsi regnum in parte boreali provinciae Chang-tong, cui regno finitimum erat regnum Hing. Regni Hing regulus Tan-kong.

Filius haeres ille erat regni Tsi princeps cujus pater regnabat.

Tsiou, tsi vermes oblongi, albitudine nitentes in ligno gignuntur.

Tchan est piscis croceo colore sine squamma, oblongo est capite et in acumen desinente, dorso rugoso, ossa non spinas habet, pellem habet spissam; decem pedum et amplius longitudine ille est; et in fluviis reperitur.

Piscis Ouei similis pisci Tchan, quo tamen minor est. Piscis Ouei colore viridi ad nigrum vergente. Vulgo appellatur Lo-yu; cujus caro a pisce Tchan sapore vincitur.

Ode 4.

Inducitur effraenata mulier a viro repudiata de viro suo conquerens.

Divinatio est ab ultima antiquitate apud Sinas, ut constat ex libri Chou-king, quod caput Hong-fan titulum prae se fert. Sic refert de divinatione liber Li-ki. Duae sunt divinandi rationes; una est ope testudinis, et haec ratio appellatur Pou; altera ope plantae Tche, et haec ratio divinandi dicitur Chi. Hae duae divinandi rationes a nostris antiquis Regibus institutae sunt, inquit liber Li-ki, ut populis agendi dies constituerentur, neve plebs in die eligendo incerta animi esset, ut suus spiritui honor esset, ut legibus et regiis mandatis reverentia major exiberetur. Hoc modo hominum dubia solvuntur et fixus in agendo fit animus; unde effatum ait, si dubitaveris divinationem adhibe; qua adhibita jam noli dubitare; sed certo sis animo. Hanc divinationis regulam praescribit liber Li-ki his verbis: si divinationem Pou aut Chi adhibeas, eam ad summum ter adhibeto, nec saepius. Noli aliam ex alia divinationem usurpare. Hactenus liber Li-ki. Hae duae divinationes Pou et Chi in textu libri Ch-king leguntur, et hos duos characteres interpretatus sum secundum mentem interpretum et libri Li-ki. Comburebatur autem

testudo, interim attendebant ad varios colores quos testudinis testa igne tosta referebat, unde auguria sumebant. Herba Tche est odora et absynthio aliquantum similis, rara est; hanc ita ad divinationem nunc usurpant Sinae infideles (de antiquo hac utendi modo non dicitur). Hanc foliis exuunt et radices ejus quas dicunt esse numero 50, dividunt in duas partes, quarum unam ad dextram, alteram ad sinistram collocant; deinde invocant spiritum recitando quasdam voces consuetas in libris assignatas; interea manu accipiunt has radices et ex numero radicum in manu inventarum divinationem exercent.

Avis Kiou: Haec avis, vulgo Kou-tchao, brevi cauda, croceo colore, garrula avis.

Ode 5.

Regni Hiu regina, de qua in I. 4. 10, frustra cogitat domum paternam.

Kouai arbor habet pini truncum et cupressi folia in se recurva.

Ode 6.

Sunt qui dicant hac ode carpi regni Ouei regulum de quo in I. 4. 6., qui juvenis nugas sectabatur.

Ouan-lan vulgo Lan-tsao, haec planta humi serpit, succum habet lacteum dulci sapore et suavi.

Ode 7.

Regni Ouei reginae Suen-kiang dictae, de qua superius, filia regni Song regulo Hoan-kong nupserat, qui ex ea principem Siang-kong filium suscepit, sed eam repudiavit: repudiata in regnum Ouei patriam suam redux, et filium suum Siang-kong ad solium evehi audiens, aegre tulit quod ad filii sui regnum reverti non liceret; et hoc est 7. argumentum. De regno Song vid. I. 3. 6., princeps Siang-kong regnare coepit ann. ante Chr. 650.

Ex hac ode arguitur regnum Song regno Ouei omnino vicinum esse.

Ode 8.

Mulier mariti sui qui ad bellum profectus est desiderio afficitur.

Haec planta appellatur Ho-houan, comedentis hanc plantam curae diluuntur.

Ode 9.

Propter regni turbas multae mulieres viduae factae sunt quae alteras nuptias meditantur. Non dicitur quae sint illae turbae.

NOTAE IN CAPUT 6.

Ouen-ouang aulam suam fixerat in regione Fong provinciae Chen-si versus occidentem fluvii aut amnis Ouei ad boream. Hic amnis nomen suum adhuc retinet. Ou-ouang aulam suam et sedem imperii fixerat in regione Hao, ad occidentem hodiernae Honan-fou, versus austrum amnis Ouei. Imperante Tching-ouang qui patris Ou-ouang successit in imperium, princeps Tcheou-kong construxit urbem Lo-y (celeberrimam Lo-yang tot stragibus deinde famosam) ad orientem sedis regiae imperatoris in territorio Ho-nan-fou; haec nova urbs orientalis aula dicta fuit; aula autem Hao occidentalis. Constructa fuit urbs Lo-y, propter opportunitatem loci, quo facilius ibi condicerentur comitia regulorum.

Contigit, ut imperator Yeou-ouang unice amans mulierculam Pao-see hanc in imperatricem elegerit, uxorem suam et legitimam imperatricem de dignitatis gradu deturbaverit; cumque ex Pao-see suscepisset filium Pe-fou, alterum Y-kieou, quem ex legitima susceperat legitimum imperii haeredem exauctoravit, qui exauctoratus fugit in regnum Chin, unde mater regio sanguine oriunda. Regni Chin regulus aeger-

rime ferens injuriam consanguineae suae imperatrici et cognato suo principi factam, hanc ulcisci volens sibi adjunxit Tartaros occidentales et pugna commissa imperatorem interemit a. 771 a. Chr. n.

Princeps Y-kieou salutatus fuit imperator, qui sibi titulum Ping-ouang arrogavit. Ille anno sequenti aulam in urbem Lo-y transtulit; hujus urbis territorium sexcentis stadiis continebatur; illius autem territorii, in quod sedes imperii translata erat, mores sequentibus odis describuntur. Vid. prospectum inter prolegomena.

Ode 1.

Magnas de titulo Taï-fou ad bellum pergens, cum sedis olim regiae, quae ad occidentem posita erat, regionem peragrat et hanc desertum esse videt, apud se dolet patriae suae sortem deflens.

Chou, Tsi illa duo frumenta sunt milii genus. Milium Chou-tsee granum habet vulgari milio majus. Milium Tsi subnigro colore vulgaris milii grana magnitudine adaequat, hujus palea jumenta pascuntur.

Ode 2.

Cum magnas Taï-fou diu domo absit, hujus uxor hunc sollicita cogitat.

Ode 3.

Mulier eadem gaudet maritum reducem revisens.

Ode 4.

Regna duo Chin, Tchou in Ho-nan posita et vicina bellum usque inter se gerebant; et Ping-ouang imperator qui imperium regni Chin regulo acceptum referebat, ex suo territorio homines legabat, qui in regno Chin essent in exubiis; qui missi milites aegre hoc ferentes loquentes hac ode inducuntur.

Ode 5.

Famis tempore vir et mulier invicem dissociantur.

Planta Toui vulgo Y-mou, stipite quadrangulari sive polygono, flore albo, morbis mulierum sive ante sive post partum sanandis apta. Multa hic reperitur in loco sacrificii Tien-tan dicto, quae populo gratis distribuitur, cum hac cautione ut quisque non plus ex illa accipiat quam bibendi liquoris thé vas capere potest. Radice, non semente, propagatur.

Ode 6.

Labante imperio reguli rebellant et viros probos vitae taedet.

Per lepores improbi, per phasianos probi significantur.

Ode 7.

Omnia susdeque in imperio, quae calamitas defletur.

Ode 8.

Planta Siao subalbis foliis, spisso stipite, conferta crescit et est suaveolens.

Artemisiam comburunt supra caput aegroti curandis morbis. Antiqui Sinae artemisiam loco gossipii, quod fuit in Sinam aliunde allatum, in pannum conficiendis vestibus intromittebant.

Ode 9.

Licet leges imperii tunc non vigerent, quidam praefectus in sua ditione auctoritatem adhuc retinebat et improbos fraenare satagebat, quare hunc veretur improba puella.

NOTAE IN CAPUT 7.

Regnum Tching, quo hoc capite agitur, positum erat in territorio hodiernae Si-gan-fou, in provincia Chen-si. Suen-ouang imperator fratrem suum mi-

norem Yeou dictum hoc regno donaverat. Deinde imperator Ping-ouang regulum et ditionem Tching transtulit in territorium Kaï-fong-fou, ubi huic regionem aliam attribuit. Sic regnum illud est ex recentioribus.

Ode 1.

Regni Tching ambo reguli Hoan-kong et Ou-kong qui in munus See-tou sive munus praesidis rituum, unus ex altero successerant, munere suo optime defuncti, imperatoris animum sibi devinxerant, quod hac ode innui aiunt.

Hoan-kong regnare coepit ann. ant. Chr. n. 806; et Ou-kong ann. 744. mortuus est.

Magnates Taï-fou aulici nigrum induebant.

Ode 2.

Verecunda puella loquens inducitur.

Arbor Tan cortice viridi et laevi, ligno firmo, curribus concinnandis apto.

Ode 3.

Chou dicitur esse Kong-chou-touan de quo in historia Tchun-tsiou, et qui gravi facinore perpetrato, causa a fratre suo dijudicata, morti addictus est. Hujus Kong-chou-touan frater major erat regni Tching regulus Tchouang-kong, mater Ou-kiang, quae filium minorem perdite amans hunc pessime instituit. Kong-chou-touan licet libidini serviret, cum corporis et animi laudibus ornatus esset, hominum animos sibi devinxerat, atque ita hac ode laudatur.

Tchouang-kong regulus mortuus est ann. 701. a. Chr. n.

Ode 4.

Argumentum idem quod ode 3.

Ode 5.

Regni Tching regulus Ouen-kong magnatem Kao-ko oderat, quem cum militibus ad ripam fluvii Hoang-ho contra barbaros mittit; cum ille ibi diu versatus non revocaretur, dispersi sunt ejus milites et omnino cessavit disciplina militaris, quod hac ode innuitur. Ouen-kong regnare coepit a. 672. a. Chr. n.

Regiones de quibus hac ode, juxta fluvium Hoang-ho positae. Urbs Tsing in regno Tching.

Interpretatus sum vocem Mao per Jaculum, sed Mao potius est lancea; quinque arma erant praecipua, sagitta, clava, lancea unco ferreo armata (illa est Mao dicta de qua in hac ode), lancea una cuspide, lancea duplici cuspide, lancea triplice cuspide. Clava erat ferrea, polygona et manubrio instructa, ita liber Li-ki qui non loquitur hic de securi, cujus erat species duplex, quod est genus armorum antiquum. Vid. notas in I. 11. 8.

Ode 6.

Magnas quidam celebratur.

Ode 9.

Chun arbor florigera pruno arbori similis; mane flores aperit, qui vespere decidunt.

Ode 10.

Yeou-long: Planta cujus caulis subrubra, folia in triangulum desinunt, longa et colore subalbo, in depressis terris crescit ad altitudinem decem pedium, tenera et recens comeditur.

Ode 15.

You-liu planta vulgo Mao-seou vel Tsien cujus folia similia ziziphi, sed in acumen desinentia, apta est tingendo rubro subnigranti colori. Hujus species

una medicinalis et vulneribus curandis apta et dicitur Hie-kien-tcheou.

Ode 16.

Mulier viri sui adventu gaudet.

Ode 18.

Vir futurae uxori suae fidem suam adstringit.

Ode 19.

You-liu planta vid. notas in od. 15. hujus Cap.

Ode 21.

In regno Tching in more positum erat ut tertia luna plebs ad amnes in hac ode dictos conveniret ubi florem Lan-hoa decerperet, quod hac ode canitur.

Amnes Tchin et Ouei nomen suum nunc adhuc retinent; amnis Tchin in Ouei, et Ouei in mare confluit.

Lan vulgo Lan-hoa species gladioli gallice glayeul, ad altitudinem 4 pedum, in terris australibus, cujus flos flavo ad viridem vergenti colore in primis suaveolet.

Paeonia Sinica suaveolet.

Notae in Caput 8.

Regnum Tsi de quo hoc capite, ex amplissimis erat; occupabat hodiernae provinciae Chan-tong partem borealem, illam in qua Tsi-gan-fou, Tetcheou, Tsing-tcheou-fou etc. ad ortum mari, ad occasum fluvio Ouei definiebatur. Huic regno magnas Taï-kong propter sua praeclara merita Regulus praepositus est ab imperatore Ou-ouang. Hoc regnum opera hujus Reguli, qui commercii et artium maximam curam habuit, in primis floruit et maxime celebratur.

Ode 1.

Regni Tsi regina maritum suum ad surgendum e lecto hortatur.

Ode 2.

Venatores inter se obvii fiunt.

Ode 3.

Nuptiae celebrantur, et sponsus ad domi portam sponsam suam manet. In more erat ut sponsus ad sponsae domum prior iret, et ibi depositis a sponso anseribus sponsa currum conscenderet; interim sponsus ad paternam domum accurrens sponsam ad portam expectabat; cumque pervenisset hanc salutatione Tso-y dicta salutaret. Salutatio autem Tso-y illa est, quae fit inter pares; altera salutatio Kong-cheou dicta, fit a superiore suo inferiori; tertia Kouei, Ko-teou dicta, fit ab inferiore suo superiori. Sed alii de hoc scripserunt. Vid. notas in I. 2. 5.

Ode 5.

Hac ode carpitur regulus, qui intempestive jubebat, et sic suis laborem creabat.

Ode 6.

Hac ode carpitur scelestus Regulus regni Tsi princeps Siang-kong, qui sorore sua Ouen-kiang licentius utebatur. Ouen-kiang autem nupsit regni Lou Regulo Hoan-kong, qui etiam duabus ultimis odae strophis carpitur, quod cum uxore sua regulum regni Tsi convenerit in regno Tsi, unde maximorum malorum labes; nam regni Tsi regulus incestus factus et adulter nequitiam suam summa perfidia cumulavit, et vindictam veritus, occasione convivii, ad quod incautum et infelicem Regulum invitaverat, ipsum occidi curavit; et jura consanguineitatis, affinitatis, conjugii et humanitatis simul violavit a. 694. ante Chr. n.

Ode 7.

Noli ea quae supra te sunt posita moliri, sed pro modulo tuo conare.

In more erat, ut puer 16 annos natus tunc pileum Pien gereret, prius autem capilli ipsi essent pro pileo. Pileus autem adolescenti dabatur magno apparatu, tunc fiebat conventus amicorum et consanguineorum in domo paterna juvenis, et festus agebatur dies. Sic pileus apud Sinas quemadmodum praetexta apud Romanos.

Ode 8.

Ab omni aevo Sinae canina carne vesci soliti sunt, quamquam nunc temporis hac vesci apud illos rarius est. Sed antiquitus imperator ipse hac vescebatur.

Ode 9.

Regni Lou Regulus Tchouang-kong, cujus pater Hoan-kong de quo vid. notas in I. 8. 6. ille de matre Ouen-kiang incesta muliere ad meliorem frugem revocanda desperans, hanc a se dimittit, et reddit domui paternae, quod est odes 9. argumentum.

De pisce Fang vid. notas in I. 1. 10.

Piscis Siu similis pisci Fang, quem tamen vincit corporis et capitis magnitudine.

In 10.

Ouen-kiang effraenis mulier regni Lou regina in regnum Tsi patriam suam iter faciens carpitur. Vid. notas in I. 8. 6.

Amnis Ouen ad boream Tsi-nan-fou in provincia Chan-tong.

In 11.

Hac ode celebratur regni Lou Regulus Tchouang-kong, de quo vide notas in oden 9, laudatur propter suas corporis et animi dotes. Tchouang-kong autem natus est ante incestum stuprum matri suae illatum ab avunculo suo regn Ts regulo, vid. notas in I. 8. 6 et 9.

Carptim etiam princeps ille hac ode accusatur, quod matrem suam Ouen-kiang in finibus officii non contineat; aut potius miseratione esse dignus videtur, quod matrem nequissimam probus princeps sortitus sit.

NOTAE IN CAPUT 9.

Regnum Ouei, de quo nunc agitur, in territorio hodiernae Ping-yang-fou in provincia Chan-si, ubi posita erat imperatorum Chun et Yu sedes regia. Hoc regnum parvum quidem, datum fuisse dicitur nepoti principis Pi-kong, filii patre Ouen-ouang nati, qua generatione nepoti, non dicitur. Hoc regnum tempore, de quo his carminibus agitur, usurpatum fuit a regni Tsin, in Chan-si, regulo principe Hien-kong a. 661. ante Chr. n. Sic odis sequentibus non modo regni Ouei sed etiam regni Tsin mores describuntur.

Ode 1.

Hac ode carpuntur regionis hujus homines rusticis moribus et inculta nimiaque parsimonia accusandi, qui mores ibi etiamnum vigent.

De tela Ko-pou vid. notas in I. 1. 2. Aestate induebant calceos ex tela Ko-pou contra caloris aestus, et hieme ex corio; sed parci homines eosdem ex tela calceos, tum aestate, tum hieme gerebant.

Mulieris erat suere vestes. Tertio mense post nuptias nupta adibat viri sui majorum aulam, (sive aedem majorum memoriae dicatam) quo facto operibus muliebribus addicebatur.

Nunc in parte boreali imperii prima sedes est ad sinistrum latus, secus in parte australi, quae sequitur antiquum morem.

Ode 2.

Argumentum idem et agit de illorum moribus agrestibus, deque magnatis rusticitate.

Amnis Fen nomen suum adhuc retinet. Regiones Tai-yuen-fou, Fen-tcheou-fou alluit in Chan-si et in fluvium Hoang-ho confluit.

'Siu vulgo Tche-sie, aquatica planta, cujus folia plantaginis similia, diuretica est.

Ode 3.

Leges in patria sua non vigere dolet quidam.

Ode 4.

Patriae suae exsortes filii suos cogitant et desiderant.

Ode 5.

Regni malo statu qui Regi dant operam rem agrariam quam rem publicam gerere mallent.

Jugerum Sinense, de quo hac ode agitur, constat centum passibus quadratis vel centum passuum longitudine, et unius passus latitudine; passus autem sex pedibus, jugerum autem hodiernum constat 240 passibus; et est ad antiquum ut 5 ad 2. Pes vero Sinensis varius variis temporibus fuit, estque etiamnum varius pro variis imperii provinciis, varius pro vario commercio, varius denique pro variis artibus et artificibus qui eas exercent.

Sed notandum existimo pedem hodiernum longe majorem esse quam pedem quo sub dynastia Tcheou utebantur, et pes hodiernus (quis sit ille, inter varios imperii pedes usu receptos examinavi, et inveni illum esse, quo nunc utitur imperator et aulici in palatio imperatori servientes) est ad pedem hujus dynastiae ut 10 ad 8, seu 5 ad 4 passuum et jugerum sub Tcheou dynastia; item stadiorum ratio eadem; nam liber Li-ki classicus aperte dicit agrum unius stadii longitudine

et unius stadii latitudine constare 900 jugeribus; agrum dicit quadratum cujus radix est unum stadium, quod stadium quadratum 900 jugera conficit; cumque jugerum quadratum habeat pro latere sive radice 10 passuum longitudinem, (nam supra dictum est, unum jugerum constare 100 passibus cujus quadrati radix est 10) sequitur 900 jugera quadrata sive quadratum 900 jugeribus constans habere pro latere trecentos passus sive unum stadium juxta librum Li-ki, qui geometricam dimensionem imperii Sinensis fusius tractat. Ex libro igitur laudato Li-ki constat, stadium antiquum contineri 300 passibus; id restat ut antiqui passus et pedis fixa sit mensura; si pedis definiatur mensura, definietur etiam et passus; nam passus ad pedem semper habuit proportionem quandam. Tempore dynastiae Tcheou unus passus constabat 6 pedibus, (pollices 4 addit textus libri Li-ki; sed bene interpretes aiunt passus mensuram fuisse sex tantum pedes ut dixi, sub dynastia Tcheou; et textum libri esse obscurum. Tcheou dynastiae passus aequivalet 4 pedibus hodiernis et octo pollicibus) nunc autem 5 pedibus constat et stadium nunc est 360 passibus sive 180 decempedis, quarum 144 conficiunt unum stadium antiquum dynastiae Tcheou.

Quoad mensuras dynastia Tcheou antiquiores, quibus sub aliis dynastiis utebantur, id accepi a patre Gaubil qui rem disquisivit, nempe quod pes dynastiae Kia sit 10, dynastiae Chang sit 12, et dynastiae Tcheou sit 8: hoc est, tres pedis mensurae sub tribus dynastiis Hia, Chang, Tcheou sunt inter se ut numeri 10, 12, 8; in palatio autem nunc utuntur pede dynastiae Chang, qui est ad pedem regium Galliae, ut 283 ad 288.

Agrorum mensurae erant quatuor; una dicebatur Mou quod est jugerum Sinense, de quo supra dixi; altera Fou sive Kin quae centum Mou constabat, sive 10,000 passibus quadratis; tertia Vou tribus Kin constans, sive 30,000 passibus quadratis. Quarta Tsin quae tribus Vou constabat sive 9000 quadratis; mensura autem Tsin dicta uno stadio quadrato continebatur: mensura Tsin ita apud Mencium definitur; inventa fuit a dynastia Tcheou. Ex quatuor illis mensuris prima et secunda nunc usu receptae; caeterae non ita; haec annotavisse deinde juvabit.

Ode 6.

Adhortatio ad laborem.

De arbore Tan vid. notas in I. 7, 1.

Hiuen vulgo Ho leporis simile, rostro acuto, variegato colore, spisso crine et molli, papyrum edere amat, cicuratur, somni avidum singulis decem passibus dormitat.

Ode 7.

Per mures innuuntur tunc temporis Regni praefecti qui populorum opes diripiebant.

Notae in Caput 10.

Regnum Tang sive Tsin de quo vid. notas in I. 9. 1. initio in hodierna Tay-ouen-fou et Ping-yang-fou provinciae Chan-si; regni hujus regio fuit imperante Yao sedes imperii: imperator Tching-ouang dynastiae Tcheou hoc regnum fratri suo minori Chou-yu attribuit. Chou-yu ille est, quem imperator per jocum in Regulum inauguratus erat, et monente imperii administro in Regulum revera electus fuit. Imperii Yao mores in hoc regno tunc temporis adhuc vigebant.

Ode 1.

Regionis Tang homines labori non parcentes non se dant quieti et otio, nisi exeunte anno, cum ab agricultura cessarunt.

Ode 2.

Quidam avarus carpitur.

Kiu arbor species ulmi spinosa, vulgo Tsee-yu, foliis rotundis, cortice viridi, ex cujus ligno conficitur lanceae hastile.

Arbor Kao vulgo Chan-yu ab arbore Tsi de qua inferius, non multum abludit.

Vulgo Ouan-foui, arbor, cujus folia similia arbori Armeniacae subalba, et in acumen desinentia, rubro cortice, incurvo ligno, quo ad arcus conficiendos utuntur.

Arbor Tsi unde verniceum, vernis, cortice albo, foliis in acumen oblongis, corpore recto, ramis et foliis palmae arboris instar dispositis; hujus flos similis flori arboris acassia Sinensis; arbor haec intus est flavo colore. Securi abscinditur ejus cortex et per aperturam intromittitur arundo, unde liquor guttatim effluit. Haec est vulgaris Tsi arbor. Alia est in provinciis Ouang-tong et Tche-kiang. Tsi arbor omnino succosa, ita ut ad minimam aperturam succus scaturiat, aureo colore liquor, qui etiam Tsi Sinice dicitur; hujus folia similia oleae. Ille liquor est venenosus quo si manus maduerit tumescit. Qui vernicea dant operam artifices in loco humido, non aprico, artem exercent suam et plerique vita sunt brevi.

Ode 3.

Regni Tang sive Tsin Regulus de titulo Tchao-heou anno 745 ante Chr. n. patruo suo de nomine Tching-chi regionem Kiu-gouo dictam in territorio

hodiernae Ping-yang-fou in ditionem attribuit, quod novum regnum, parvum licet, deinde floruit, et in regnum Tsin, unde secretum et excerptum fuerat, invaluit; ansam dedit Reguli Tchao-heou imbecillitas.

In hac ode innuitur regni Tsin homines rebellare et se regno Kiu-gouo dedere velle.

Regiones, de quibus haec ode, erant in regno Kiu-gouo.

Ode 4.

Regnum Kiu-gouo optimo rerum statu celebratur.

Tsiao vulgo Hoa-tsiao alta, spinis instructa, parvis foliis quae recentia comeduntur, fructu rubro et in acervum crescente, ad grossulariae acinum similitudine accedit fructus ille, quo fercula condiuntur, et appellatur piper Sinense; nam piper Indicum Kou-tsiao quo etiam utuntur, in Sinam aliunde advehitur. Haec arbor ad certam altitudinem non crescit, nisi post multos annos. Hujus fructus respirationi nocet.

Ode 5.

Regno Tang perturbato innuptae manent puellae, aut sero nubunt.

San-sing sive tres stellae sunt antares, cor scorpionis cum duabus stellis vicinis, una orientem versus, altera ad occidentem, quarum haec borealior, illa australior. Hoc sidus est una 28 constellationum Sinensium, et appellatur Sin, mutato antiquo nomine secundum interpretes; quamquam etiamnum vulgus Sinensium hoc sidus de nomine San-sing dicit.

Ode 6.

Quidam fratribus suis orbus aliorum sibi quaerit subsidium.

Ode 7.

Obscura est ipsis interpretibus.

Ode 1.

Regionis Tang homines labori non parcentes non se dant quieti et otio, nisi exeunte anno, cum ab agricultura cessarunt.

Ode 2.

Quidam avarus carpitur.

Kiu arbor species ulmi spinosa, vulgo Tseo-yu, foliis rotundis, cortice viridi, ex cujus ligno conficitur lanceae hastile.

Arbor Kao vulgo Chan-yu ab arbore Tsi de qua inferius, non multum abludit.

Vulgo Ouan-foui, arbor, cujus folia similia arbori Armeniacae subalba, et in acumen desinentia, rubro cortice, incurvo ligno, quo ad arcus conficiendos utuntur.

Arbor Tsi unde verniceum, vernis, cortice albo, foliis in acumen oblongis, corpore recto, ramis et foliis palmae arboris instar dispositis; hujus flos similis flori arboris acassia Sinensis; arbor haec intus est flavo colore. Securi abscinditur ejus cortex et per aperturam intromittitur arundo, unde liquor guttatim effluit. Haec est vulgaris Tsi arbor. Alia est in provinciis Ouang-tong et Tche-kiang. Tsi arbor omnino succosa, ita ut ad minimam aperturam succus scaturiat, aureo colore liquor, qui etiam Tsi Sinice dicitur; hujus folia similia oleae. Ille liquor est venenosus quo si manus maduerit tumescit. Qui vernicea dant operam artifices in loco humido, non aprico, artem exercent suam et plerique vita sunt brevi.

Ode 3.

Regni Tang sive Tsin Regulus de titulo Tchao-heou anno 745 ante Chr. n. patruo suo de nomine Tching-chi regionem Kiu-gouo dictam in territorio

hodiernae Ping-yang-fou in ditionem attribuit, quod novum regnum, parvum licet, deinde floruit, et in regnum Tsin, unde secretum et excerptum fuerat, invaluit; ansam dedit Reguli Tchao-heou imbecillitas.

In hac ode innuitur regni Tsin homines rebellare et se regno Kiu-gouo dedere velle.

Regiones, de quibus haec ode, erant in regno Kiu-gouo.

Ode 4.

Regnum Kiu-gouo optimo rerum statu celebratur.

Tsiao vulgo Hoa-tsiao alta, spinis instructa, parvis foliis quae recentia comeduntur, fructu rubro et in acervum crescente, ad grossulariae acinum similitudine accedit fructus ille, quo fercula condiuntur, et appellatur piper Sinense; nam piper Indicum Hou-tsiao quo etiam utuntur, in Sinam aliunde advehitur. Haec arbor ad certam altitudinem non crescit, nisi post multos annos. Hujus fructus respirationi nocet.

Ode 5.

Regno Tang perturbato innuptae manent puellae, aut sero nubunt.

San-sing sive tres stellae sunt antares, cor scorpionis cum duabus stellis vicinis, una orientem versus, altera ad occidentem, quarum haec borealior, illa australior. Hoc sidus est una 28 constellationum Sinensium, et appellatur Sin, mutato antiquo nomine secundum interpretes; quamquam etiamnum vulgus Sinensium hoc sidus de nomine San-sing dicit.

Ode 6.

Quidam fratribus suis orbus aliorum sibi quaerit subsidium.

Ode 7.

Obscura est ipsis interpretibus.

Imperatoris pelliceа vestis ex ovina pelle erat sine limbo; magnatum autem erat cum limbo ex pardi pelle, quae ovinae pelli assuebatur. Vid. notas in I. 2: 7.

Ode 8.

Regni homines Regulo suo suam dant operam nec parentes alere vacat suos.

Pao avis aquatica, ansere, cui similis est, major; ungue in pede retrorsum carens. Cum accipiter eam insequitur, cacatum suum in eum projicit et accipitris plumae decidunt.

Chou-tsi duo genera milii, vulgo Leang-mi; vid. I. 6. 1.

Kao-leang genus milii cujus granum cannabis grano fere simile magnitudine et figura, tamen aliquanto minus, subrubro ad nigrum vergente colore; planta illa ad altitudinem decem pedum crescit, ipsius caulis et stipes junco similis intus cavus est, folia etiam juncis similia. Hoc frumento utuntur liquori Chao-tsiou, i. e. vino cremato conficiendo, qui liquor similis est vino Europaeo igne vaporato quoad colorem, vim etc. Liquor ille foetet naso Europaeo, sed suaveolet naso Sinensi; cum vili pretio veneat, ille liquor vinum est Sinensium commune, unde illorum ebrietas, illorum morbi etc. Audivi a fratre nostro Rousset, hic Pekini insigni chirurgo, hunc liquorem vulneribus magis idoneum esse quam vinum crematum Europaeum et hoc experientia sua didicit. Frumentum Kao-leang etiam comeditur. Plantae hujus stipite utuntur clathris, repagulis, domorum tectis conficiendis. Planta illa non surgit in aristam, sed in summo stipite, grana in acervum, unum ab alio divisa, ex variis pediculis extantia crescunt.

Ode 9.

Regni Kiu-gouò Regulus de titulo Ou-kong nepos Reguli Tching-chi sive principis de titulo Hoan-chou de quo vid. notas in ode 3. hujus, bellum indixit regni Tsin Regulo; e bello victor, hoste occiso ditioni suae regnum Tsin subdidit; quidquid pretiosi praedatus erat, hoc imperatori obtulit, qui eum in Regni Tsin Regulum salutavit, et inter Regulos imperii annumeravit. Sic hac ode regni Kiu-gouo Regulus regnum Tsin affectans, Reguli insignia et vestes ab imperatore quaerens et loquens inducitur; quod gestum est anno ante Chr. n. 678.

Viri cujusdam i. e. imperatoris Li-ouang qui tunc regnabat, alter ab illo, qui imperatore Ping-ouang prior fuit.

Regulis imperii dignitatis insignia erant septem genera vestium, curruum, vexillorum etc. quae insignia Regulus ab imperatore ipso accipere cupiebat.

Qui imperatori adstabant primarii magnates, illis erant sex genera vestium etc. Vid. not. in I. 2. 7.

Ode 10.

Bonorum virorum studiosus quidam loquens inducitur.

Ode 11.

Mulier virum suum, qui suam Regulo dat operam, absentem desiderat. De planta Ko vid. notas in I. 1. 2.

Lien planta confertim crescit, foliis oblongis, gracili stipite, caeruleo flore. Hujus folia cocta bobus apponuntur, qui his pasti a calore recreantur.

Adhuc in more est, ut vir et uxor tumulis juxta positis tumulentur.

Ode 12.

Maledici non audiendi.

Fou-ling tuber celebre apud Sinas, in solo ubi

sint antiquae pini crescens; magna massa crescit, varias figuras induens, cortice nigro, tenui, variis lineis distincto, intus album et durum. Locus ubi reperitur varia habet fila in terrae extima facie quae serica diceres. Magno pretio emitur, temperat humores, corroborat stomachum, fere insipidum est gustui; et ad radicem Gin-seng virtute medicinali accedit.

Kou-tsai lactuca silvestris. Herba silvestris edulis, cocta acescit; illa est de qua hic agitur.

NOTAE IN CAPUT 11.

Regnum Tsin, de quo nunc, in territorio hodiernae Si-gan-fou, in provincia Chen-si; in ditione ubi familia Tcheou, antequam imperium obtineret, dominabatur; in regione ubi familia Tcheou rerum potita sedem imperii primum fixerat. Illud regnum aliud est a regno Tsin de quo 10. caput agit; quodque in provinciae Chan-si hodierna Taï-ouen-fou positum erat. Hoc ab imperatore Tching-ouang, illud ab imperatore Ping-ouang erectum fuit; sic regnum Tsin de quo jam agitur, est recentissimum; et ann. 770. ante Chr. n. incepit; cujus regni regulus deinde fuit Tsin-chi-hoang famosus imperator qui imperium invasit.

Ode 1.

Regni Tsin primus Regulus Siang-kong in Regulis imperii recens annumeratus currus, equos et Eunuchos pro tuenda dignitate sua sibi quaesivit; quem novum principis sui apparatum et dignitatis splendorem admirantur magnates.

Hic primo fit mentio de Eunuchis; quandonam imperator et Reguli Eunuchos in palatio adhibere inceperint, non liquet. Quod certum est, unum ex suppliciis,

quibus rei plecterentur, apud Sinas olim fuisse ut adimeretur virilitas. Nunc non ita. Sed parens pauper filiolum facit Eunuchum, quem vendit imperatori, aut Regulo cuivis. Cfr. II. 5. 6.

De arbore Tsi vid. notas in I. 10. 2.

De fidibus Che vid. not. in I. 1. 1.

Ode 2.

Regulum venatum euntem celebrant.

Avis Loan fere ut Fong-hoang phoenix Sinica, avis fictitia mireque celebrata, phoenicis Sinicae ministra dicitur; corpus habet gallinae, plumam discolorem, vocem canoram, fausto est omine, regisque virtutem indicat, cum apparet ex monte unde prodit.

Ode 3.

Regni Tsin homines in barbarorum occidentalium perniciem conjurant, et Regulus Siang-kong hujus regni primus imperatoris edicto his bellum crudele indicit ann. ante Chr. n. 766. De hoc bello agit haec ode, in qua loquens inducitur mulier de viro suo ad bellum pergente sollicita.

Non milites modo in pugna, sed equi etiam loricam induebant.

De Scuto vide not. in I. 1. 7.

De Mao jaculo vel potius lancea vid. I. 7. 5.

Ode 4.

De quo agatur hac ode nescitur.

Ode 5.

Regni Tsin regulus celebratur.

Tiao arbor foliis subalbis, cortice lignoque albo, curribus construendis apto, montana arbor.

Tchong-nan; mons in Chen-si provinciae territorio Si-gan-fou.

Mei: species arboris Armeniacae sive pruni, cujus fructus omnino acidi.

Ode 6.

Hic defletur mors trium fratrum, virtute sua insignium, qui in regni Tsin Reguli Mou-kong tumulo vivi sepulti sunt, fuerunt 177 homines vivi tumulo mandati a. 621 ante Chr. n.

Haec gesta alii aliter narrant; sunt qui dicant: (haec opinio est longe verisimilior et altera non est nisi suspicio) illos jussos fuisse sibi necem inferre et sic necatos sepultos fuisse, adduntque Regulum Kang-kong, qui in patris Mou-kong solium successit paterna jussa nequiter facessentem ipsos ad se interimendum impulisse; quocumque modo res acciderit, interpretes uno ore hanc barbariem gravissime incusant, et patrem qui id jussit, et filium qui tale jussum executioni mandavit, in crimen pariter vocant; hunc barbarum morem a Tartaris in Sinas tunc temporis invectum fuisse aegerrime ferunt et simul de imperatore conqueruntur, qui tale facinus neque inhibuerit, neque puniverit; unde imperatoris imbecillitatis argumenta sumunt. Quod hic mos a Tartaris oriatur, argumento hodierna dynastia potest esse. Mortuo enim imperatore Tartaro aliquando jussi sunt mori qui mortuum, ut aiunt, sequantur; quod tamen mortuis Kang-hi et Yong-tching actum fuisse non audivi. Quidquid sit, hic mos saltem probat animae immortalis doctrinam apud infideles ipsos vigentem; mortuo enim imperatore jubentur illi mori, ut in altera vita adstent imperatori, et ipsi praesto sint.

De Regulo Mou-kong vid. tetrabiblii librum Ta-hio. Item vid. Libri Chou-king caput Tsin-chi dictum.

Ode 7.

Uxor virum suum desiderat.

Tchin-fong species accipitris, turturis magnitudine, viridi flavoque colore, hirundinis collo, rostro albo, pernicibus alis.

Li et Lieou-po: Hae duae arbores ad ulmum similitudine accedunt.

Arbores de quibus in tertia stropho, sunt species pyri sylvestris. Haec ode dicitur spectare quemdam Pe-li-hi qui fugiens incidit in manus hominum regni Tchou in Ho-nan, et eorum captivus fuit; de cujus laudibus eximiis audiens Mou-kong Regulus, de quo in notis superioribus, hunc pellibus quinque ovium redemit et suum regni ministrum esse voluit; ille est, cujus mulier hac ode loquens inducitur, viri sui desiderio affecta.

Ode 8.

Regni Tsin gens bellicosa innuitur.

In Sina boreali Chen-si et Chan-si homines, et in australi Sina provinciae Fou-kien homines in caeteris bellicosi.

Ko est spiculum aut jaculum, Mao hasta viginti pedibus alta; Ko jaculum sex pedibus et sex pollicibus altum; vid. notas in I. 7. 5.

Ki hasta sive lancea erat 16 pedibus; curribus bellicis imponebantur haec arma. Sed notavi dynastiae Tchou mensuras hodiernis esse minores, in notis ad I. 9. 5.

Ode 9.

Princeps de nomine Tchong-eul filius erat Reguli Tsin (vid. notas in cap. 10.), quod regnum in hodierna provincia Chan-si fuisse supra dictum est. Princeps ille reguli patris sui conspectum fugiens, ad regulum Mou-kong de quo I. 11. 6. confugit. Regulus Mou-kong principis Tchong-eul sororem uxorem duxerat; sic Regulus principem recepit. Reguli

Mei: species arboris Armeniacae sive pruni, cujus fructus omnino acidi.

Ode 6.

Hic defletur mors trium fratrum, virtute sua insignium, qui in regni Tsin Reguli Mou-kong tumulo vivi sepulti sunt, fuerunt 177 homines vivi tumulo mandati a. 621 ante Chr. n.

Haec gesta alii aliter narrant; sunt qui dicant: (haec opinio est longe verisimilior et altera non est nisi suspicio) illos jussos fuisse sibi necem inferre et sic necatos sepultos fuisse, adduntque Regulum Kang-kong, qui in patris Mou-kong solium successit paterna jussa nequiter facessentem ipsos ad se interimendum impulisse; quocumque modo res acciderit, interpretes uno ore hanc barbariem gravissime incusant, et patrem qui id jussit, et filium qui tale jussum executioni mandavit, in crimen pariter vocant; hunc barbarum morem a Tartaris in Sinas tunc temporis invectum fuisse aegerrime ferunt et simul de imperatore conqueruntur, qui tale facinus neque inhibuerit, neque puniverit; unde imperatoris imbecillitatis argumenta sumunt. Quod hic mos a Tartaris oriatur, argumento hodierna dynastia potest esse. Mortuo enim imperatore Tartaro aliquando jussi sunt mori qui mortuum, ut aiunt, sequantur; quod tamen mortuis Kang-hi et Yong-tching actum fuisse non audivi. Quidquid sit, hic mos saltem probat animae immortalis doctrinam apud infideles ipsos vigentem; mortuo enim imperatore jubentur illi mori, ut in altera vita adstent imperatori, et ipsi praesto sint.

De Regulo Mou-kong vid. tetrabiblii librum Ta-hio. Item vid. Libri Chou-king caput Tsin-chi dictum.

Ode 7.

Uxor virum suum desiderat.

"Tchin-fong species accipitris, turturis magnitudine, viridi flavoque colore, hirundinis collo, rostro albo, pernicibus alis.

Li et Lieou-po: Hae duae arbores ad ulmum similitudine accedunt.

Arbores de quibus in tertia stropha, sunt species pyri sylvestris. Haec ode dicitur spectare quemdam Pe-li-hi qui fugiens incidit in manus hominum regni Tchou in Ho-nan, et eorum captivus fuit; de cujus laudibus eximiis audiens Mou-kong Regulus, de quo in notis superioribus, hunc pellibus quinque ovium redemit et suum regni ministrum esse voluit; ille est, cujus mulier hac ode loquens inducitur, viri sui desiderio affecta.

Ode 8.

Regni Tsin gens bellicosa innuitur.

In Sina boreali Chen-si et Chan-si homines, et in australi Sina provinciae Fou-kien homines in caeteris bellicosi.

Ko est spiculum aut jaculum, Mao hasta viginti pedibus alta; Ko jaculum sex pedibus et sex pollicibus altum; vid. notas in I. 7. 5.

Ki hasta sive lancea erat 16 pedibus; curribus bellicis imponebantur haec arma. Sed notavi dynastiae Tchou mensuras hodiernis esse minores, in notis ad I. 9. 5.

Ode 9.

Princeps de nomine Tchong-eul filius erat Reguli Tsin (vid. notas in cap. 10.), quod regnum in hodierna provincia Chan-si fuisse supra dictum est. Princeps ille reguli patris sui conspectum fugiens, ad regulum Mou-kong de quo I. 11. 6. confugit. Regulus Mou-kong principis Tchong-eul sororem uxorem duxerat; sic Regulus principem recepit. Reguli

autem filius, principis ex sorore nepos, avunculo suo venienti obviam pergens, ipsumque comitatus, loquens hac ode inducitur.

Ode 10.

Regni Tchou in provincia Ho-nan Regulus, ante quam solium conscenderet, hospitem quemdam convivio et dulci vino excipere solitus erat; factus autem regulus hospitem excipiens vinum dulce non adhibuit; sic hospes Reguli mutatum animum conqueritur; et hoc innuit ode 10.

NOTAE IN CAPUT 12.

Regnum Tchin, de quo nunc, ubi Fou-hī Sinarum conditor sepultus esse dicitur, positum erat in territorio hodiernae Kay-fong-fou, in provincia Honan. Haec regio in regnum erecta fuit ab imperatore Ou-ouang, pro quodam figulo artis suae peritissimo, cui filiam suam uxorem dedit, et dictus imperator generum suum ibi regnare voluit.

Ode 1.

Carpuntur dictae regionis homines ludis indecore indulgentes.

Lou-sec avis est margus, cujus plumis utuntur conficiendis labellis.

Ode 2.

Argumentum ut supra.

Operam dabant agriculturae, et mulieres agricolis prandium afferebant, postea moris arboribus, deinde cannabi operam navabant, cui operi non vacant, sed ludo; sic merito hac ode carpuntur. Antiquitus cannabis, postea fuit gossipium in Sina.

Hao-tsiao piper Sinense, quod crudum comedunt; vid. notas in I. 10. 6.

Kiao multos flores, folia pauca profert, et floret antequam folia ediderit. Hujus flores violacei, planta est aquatica.

Ode 3.

Aurea mediocritas commendatur.

De pisce Fang vid. notas in I. 1. 10.
De regno Tsi vid. notas in caput 8.
De regno Song vid. notas in I. 3. 6.

Ode 4.

Kien planta vulgo Pe-mang, similis junco; ea pro cannabe utuntur; hujus color partim ruber, partim albus, exit in aristam, quae alba est.

Ode 6.

Sepulchra antiquitus, ut nunc, domorum substructiones erant.

Avis Tchi major est ave Hiao, altum volat et cantando ventum praenuntiat.

Hae duae aves inter se similes, cantu ingrato auribus, colore viridi, optimo gustu turturem magnitudine aequant, diro omine aves. Sunt species accipitris. Caeterum quis sit nequam ille, non dicitur.

Ode 7.

Tiao planta medicinalis, pisorum plantae similis est, sed gracilior; cruda comeditur, et parvorum pisorum saporem habet.

Avi colebantur, ut patet ex libro Li-ki classico, eadem mente qua parentes coluntur vivi; et pietatis filialis esse dicunt honorem illum, qui avis exhibetur a piis erga parentes nepotibus.

Aedes habebant majorum suorum memoriae dicatas, ubi patrum suorum vestes asservabant, et praescriptos ritus peragebant; antiquitus autem non licebat, nisi imperatori, Regulis, magnatibus, imperii doctoribus

habere aulam majorum suorum memoriae sacram. Imperatoris majorum aula in septem varias aedes distributa erat; Reguli majorum aula in quinque, magnatum in tres; doctorum autem unica erat. In prima ex septem aut quinque aut tribus aedibus, quae in medio posita erat ad boream, austrum respiciens reponebatur tabella lignea, ubi scriptum erat nomen conditoris dynastiae praesentis, vel illius qui dignitatem Reguli aut magnatis in familiam suam invexerat; ad primae utrumque latus hinc inde collocabantur caeterae aedes una post alteram austrum respicientes, et in aedium illarum qualibet reponebatur tabella ubi scriptum erat nomen caeterorum avorum qui principem regnantem aut magnatem proxime antecesserant. Statis temporibus huc familia mortuorum conveniebat, et caerimoniis defungebatur.

Caerimoniae erant, aliquot ante diebus jejunare in signum luctus, lugere corpore prostrato coram tabella, apponere cibos, serica etc. Similes ritus etiamnunc vigent. Sic autem liber Li-ki classicus, qui totus in hac materia fere versatur. Quid est, inquit, quod ita apponantur cibi? Nunquid mortui his cibis vescuntur? Tamen a primo aevo usque adhuc nullus unquam huic officio defuit; hic ritus, adjicit liber ille, scilicet institutus est, ut discamus mortuos non contemnere. Sed Confucius clarius, cum dixit mortuos coli eadem mente et eodem modo, quo coluntur vivi et haec vox Confucii, haec sententia, apud Sinas nota est lippis et tonsoribus a qua magistri sui regula aberrare non ausint.

Vas: Ad quid illud vas, non dicitur.

Herba Ni similis esse dicitur avi de eodem nomine Ni quae discolor ex collo habet quasi suspensam peram.

Ode 9.

Hac ode carpitur regni Tchin regulus Ling-

kong, nimis frequens in pago Tchou-ling dicto, ubi impuro amori indulgebat.

Hia-nan ille est cujus matre Regulus licentius utebatur.

Historia Tchun-tsiou narrat, tunc fuisse magnatem Sie-ye dictum, qui cum Regulum suum propter impuros ejus amores argueret, a Regulo ipso occisus est; cujus mortui filius patris ultor regulum homicidam deinde interfecit; sic impurus Ling-kong poenas scelerum dedit. Ille est Ling-kong cujus pravo exemplo mores in regno Tchin depravati sunt. Ling-kong ille occisus est anno 600. ante Chr. n.

Ode 10.

Pou planta aquatica cujus tenera propago edulis est.

NOTAE IN CAPUT 13.

Regnum Houi, de quo nunc agitur, in provinciae Ho-nan territorio Kaï-fong-fou erectum fuit ab imperatore Ou-ouang. Sed regni Tching in eodem territorio Regulus Hoang-kong hoc Houei regnum delevit, quo anno non inveni.

Ode 1.

Hac ode regni Houi regulus, qui luxui, ludis et conviviis deditus publicam rem negligebat, carpitur.

Regulorum vestes vulgares nigrae ex pelle agnina, solennes ex vulpina. De vestibus vide notas in I. 2. 7.

Ode 2.

Cum luctus triennis, qui mortuis parentibus antea servabatur, jam in more non esset, hunc morem abolitum dolent, et qui hunc morem adhuc retinent mirantur.

Mortuis parentibus filii etiamnum trium annorum luctum induunt, quod tamen tempus paucis mensibus

brevius faciunt; tempore luctûs a conviviis, musica, nuptiis celebrandis etc. abstinent, tela induuntur et statos dies, statas horas lugendo insumunt; primo anno luctûs praefecti muneris sui curam intermittunt etc. Sed de his alii jam scripsere. Vid. notas de vestibus in I. 2, 7.

Ode 3.

Negotia molesta incumbunt, gravissima vectigalia exiguntur, et in tantis laboribus arborum, sensus expertium, sortem sorte sua potiorem esse ducunt.

Tchang-tchou ad persicam arborem similitudine accedit.

Ode 4.

Labans imperium Tcheou defletur.

NOTAE IN CAPUT 14.

Regnum Tsao cujus mores capite 14. describuntur, in Chan-tong provincia, in territorio hodiernae Yen-tcheou-fou situm erat, et ab imperatore Ou-ouang fratri suo minori Tchin-to attributum fuit.

Ode 1.

Juxta interpretes hac ode incusantur homines jocis dediti et de futuro nihil curantes.

Feou-yeou papilio corpore gracili, magnis cornibus, colore nigro et flavo, mane nascitur et vespere moritur.

Ode 2.

Carpitur Regni Tsao Regulus, qui sapientes a se amovens, nullos nisi filios terrae in conspectum suum admittebat. Quis ille, non dicitur.

Ti avis nigri anseris instar, rostro unius pedis longitudine, ex collo peram gerens unius et amplius pedis diametro, qua utitur quasi retibus ad pisces quos voret

irretiendos; turmatim volat; ante pectus duo carnis quasi frusta gerit pugnum magnitudine aequantia.

Ode 3.

Reguli sedulitas in negotiis gerendis et aequitas laudatur.

Avis Chi-kieou vulgo Pou-kou, agricolas ad seminandum verno tempore cantu suo adhortans dicitur, unde illius vulgare nomen. Haec est pullorum alendorum in primis studiosa; avis illa discolor picam magnitudine superat, rostro est adunco.

Ode 4.

Dynastia Tcheou jam pessimo statu, ita ut imperii restituendi nulla spes relinquatur; regnaque omnia in angustiis versantnr.

Siao vulgo Nieou-y-pa. Vid notas in I. 6. 8.

Tche planta, vide I. 5. 4.

Sun Regulus a Ouen-ouang oriundus de imperio optime meritus.

Pe Regulorum primariorum titulus de quo vid. notas in I. 2. 5.

NOTAE IN CAP. 15.

Regnum Pin qui titulus capiti 15. praefigitur, in provincia Chen-si, in territorio hodiernae Si-gan-fou. Hoc regnum princeps Kong-lieou unus ex avis gentis Tcheou obtinebat. 670 annis ante quam gens Tcheou imperaret, et Ou-ouang solium imperii conscenderet. Vid. stemma chronologicum familiae Tcheou in prolegom.

Carmina quae de hujus regni nomine dicuntur fuere scripta a principe Tchou-kong ad imperatorem Tching-ouang suum ex fratre nepotem tunc juvenem erudiendum, quibus carminibus alii deinceps

nonnulla addiderunt; scilicet Tcheou-kong, princeps avorum suorum Heou-tsi et Kong-lieou doctrinae meminit, quam alumno suo Tching-ouang imperatori innuit.

Ode 1.

Res agraria est hujus argumentum.

Hanc scripsit princeps Tcheou-kong, qua Tching-ouang imperatorem doceret agriculturae labores, atque ita imperatori commiserationem erga agricolas moveret. Haec carmina coram imperatore a musicis, qui caeci erant, usque cani curabat.

Tempore dynastiae Tcheou prima anni lunatio illa erat, cum sol ingreditur signum capricorni; secus autem erat tempore dynastiae Hia; tunc enim, quemadmodum nunc, prima anni lunatio illa est, qua sol ingreditur signum piscium. Ode autem de qua hic agitur appellando lunationes anni, non secundum dynastiae Tcheou calendarium eas appellat, sed secundum calendarium dynastiae Hia. Hoc autem sic intelligo: mutationes, quae factae sunt in Kalendario sub dynastiis Chang et Tcheou, factas tantum esse, quo ad caerimonias, quae stata lunatione anni peragi debent, non vero quo ad opera agrestia etc. Et sic agricolas sub dynastia Tcheou primam lunationem anni numeravisse illam, quam sub dynastia Hia numerare didicerant.

Ho-sing cor scorpionis nunc appellatur Sin-sing, vid. I. 10. 5., ubi dicitur de nomine San-sing. Primum nomen, Ho-sing, significat ignis stellam, secundum, Sin-sing cordis stellam; tertium autem tres stellas significat.

Tsing-kong avis vulgo Hoang-niao croceus avis vid. notas in I. 1. 2.

Fan herba de ea vid. I. 2. 2.

De avi Kue alii alia; turturi similis, nigro colore.

Yao textus tartaricus interpretatur Hara tartarice; latine autem æra sive lolium. Sina quolibet anno duas habet messes, unam aestivam, alteram autumnalem. In quarta stropha non fit mentio nisi de autumnali.

Ho est species vulpis maxime somnolenta.

De venatione in qua exercebantur milites vid. notas in I. 1. 7.

Yu fructus, species cerasi, sapore acido. Tou rubro colore, dulci gustu.

Libri Li-ki caput, cui titulus est Yue-ling, dicit in more fuisse, ut medio vere cum glacie uti inciperent, tunc in aula majorum fieret agni oblatio.

Kiou vulgo Kiou-tsaï similis est alliorum aut cepe foliis, alliorum est sapore, et a Sinis cum oriza comeditur. Crescit ad unius pedis altitudinem, colligitur spinatiae modo, ita ut resecta recrescat.

Ode 2.

Cum princeps ex familia Regia nupera Chang superstes ab imperatore Ou-ouang in Regulum electus et imperatoris ejusdem fratres duo, imperatore Ou-ouang mortuo, puero imperante, conspirantes rebellavissent; cumque in debellandis rebellibus princeps Tcheou-kong tres annos consumeret, interea fuere qui principem apud juvenem imperatorem in suspicionem vocarent; sic Tcheou-kong hac ode avis pullos suos alentis et pullis amissis sortem suam dolentis nomine innuitur. Haec ipse scripsit carmina princeps, quae imperatori offerenda curavit. De eo liber Chou-king.

Tchi, Hiao de iis avibus vid. I. 12. 6.

Ode 3.

Imperator suspiciones suas contra patruum suum Tcheou-kong deposuit vento vehementi qui omnia

everterat et ingenti tonitru commotus; sic patruo suo bello reduci it obviam, et redux Tcheou-kong militum suorum labores consolatus, ita canit.

Insectum Chou simile bombicis, in moris crescit arboribus, in medicinam adhibetur contra infantium convulsiones.

Kouo-lo vulgo Kouo-leou species cucumeris, pugni magnitudine, non ex flore, sed flori adnascitur, in medicinam depellit phlegmata.

Ou-keng rebellis ditionem suam ad orientem habebat.

Kouan avis aquatica grui similis.

Ode 4.

Hac ode milites ad oden 3. respondent.

Ode 5.

Nuptiarum conciliandarum recta ratio commendatur. Vid. I. 2. 6. De matrimonii ritibus de hac oda in tetrabiblii libro Tchong-yong.

Pien, Teou: Haec vasa ad caerimonias adhibebantur.

Ode 6.

Dum Tcheou-kong princeps, in plaga orientali, belli causa versaretur, illius regionis incolae hunc visere gaudebant.

Tsun piscis, piscis fluvialis, dorso nigro ad rubrum vergente, ventre albo, tenui squamma, magnis dentibus, non reperitur nisi in limpida aqua, ipsius caro optime sapit, quinque pedibus et amplius longus est.

De pisce Fang vid. I. 10.; ore est in se recurvo.

Ode 7.

Cum Tcheou-kong in suspicionem imperatori venisset, ut supra dictum est, propter falsos rumores,

quos invidi in vulgus sparserant; tamen princeps ille sibi constans de suo splendore virtutis nihil amisit.

Calcei rubri erant Regulorum insignia.

NOTAE IN LIBRUM CHI-KING.

Pars II.

Caput 1.

SIAO-YA dictum.

Siao-ya latine parvum rectum, quia in hac parte mores describuntur recti illi quidem, qui tamen nonnihil a recto deflectunt.

Carmina Siao-ya ut praecipua in conviviis quae imperator celebrabat canebantur.

Carmina Ta-ya partis III. (magnum rectum) in comitiis et sacrificiis canebantur. Horum carminum in dictos usus delectum fecit ipse princeps Tcheou-kong de quo multa superius. Sunt tamen carmina alia his admista quae post Tcheou-kong mortuum scripta fuere.

Princeps Tcheou-kong non est illorum carminum auctor, sed quae ab ultima antiquitate acceperat, illa collegit.

Ode 1.

Celebratur convivium et est argumentum primae odes.

De instrumento musico Che vid. notas in I. 1. 1.

Cheng est fistula pluribus compacta cicutis.

Ode 2.

Magnas quidam imperatoris mandata facessere sedulus.

Ode 3.

Imperator magnates legat qui Regiae voluntatis diligentes sunt executores.

Ode 4.

Fratrum concordia commendatur.

Tchang-ti; de hac arbore dicitur, quod fructus habeat similes ceraso.

Tsi-ling avis aquatica, quae volando cantat, et eundo capite nutat.

Ode 5.

Amicorum inter se animorum conjunctio.

Ode 6.

Cum imperator magnates suos, et familiae suae regulos convivio exceperit, et variis munusculis donaverit, magnates vicissim imperatori agunt gratias.

Haec parentalia ad pietatem filialem pertinere existimant; cumque pietas filialis multa a coelo beneficia sortiri solita sit, ad haec bona percipienda se parant, seque a vitiis purgare laborant.

Ille puer vocabatur Chi; et hunc ritum instituit imperator Chun. Ex tempore autem imperatoris Tsin-chi-hoang jam non viget hic mos apud Sinas; et loco pueri Chi tabellam, ubi nomen mortui scriptum sit, solam retinuerunt. Quatuor anni tempestatibus, et quater intra annum sepulturam avorum suorum etiamnum adeunt, ubi caerimoniis institutisque suis defunguntur.

Ex libro Li-ki puer Chi in parentalibus mortui personam agebat; ipsi offerebantur fercula quae mortuo, dum vivebat, offerri solebant; ipsi honores exhibebantur qui mortuo, dum viveret, exhiberi solebant; ita ut Imperator ipse, qui patrem suum, dum vivebat, prostrato in terram corpore salutare solebat, puerum Chi, mortui personam agentem, prostrato corpore salutaret. Nunc temporis qui ritus coram puero Chi olim peragebantur, iidem et eadem mente coram tabella ubi nomen mortui scriptum sit peragunt et tabellam habent pro puero Chi antiquo.

Sinae sunt omnes nigris capillis, et sic fuerunt ab omni aevo; quare nigro capillitio gentis nomine in libris suis gentem Sinensem appellant.

De monte Nan-chan vide notas in I. 1. 4.

Ode 7.

Sinense imperium ab ultima antiquitate patuit grassantibus Tartaris pervium: et quolibet anno mittebantur milites qui in limitibus borealibus essent in excubiis contra Tartaros. Qui recentes advenerant, milites, militum qui anno superiori venerant, in stationem succedebant, quod hac ode innuitur.

De herba sive olere Ouei, vid. not. in I. 2. 3.

Sinae hos barbaros despicatui habentes hos de nomine Hien-yun (i. e. canis longo rostro) dicebant. Vid. notas in I. 3. 11.

De Ti arbore, vid. not. in I. 2. 5.

Yu quadrupes ad mare orientale, porco similis, cujus dorsum maculis distinguitur, venter subviridis; hujus pelle utebantur ad arcus thecam.

Ode 8.

Argumentum idem quod od. 7.

Quis ille Nan-tchong, quis imperator, quod bellum agatur, non dicunt interpretes.

Cho-fang est hodierna Ning-hia in parte occidentali provinciae Chen-si.

Antiquitus Sinae scribebant aut potius insculpebant in tabellis ligneis.

Locusta illa in libris dicitur Tsao-tchong, sed vulgo Ma-tcha.

Barbari Man-, Y-, Ti, Yong. De his quatuor gentibus vid. not. in I. 3. 11.

De ave Tsang-keng, vid. I. 1. 2.

De planta Fan, vid. I., 1. 2.

Ode 9.

In eodem quo ode 8. versatur argumento.

De Tan arbore vid. not. in I. 7. 1.

De divinatione, vid. not. in I. 5. 4.

NOTAE IN CAPUT 2.

Ode 1.

Convivium celebratur.

Tchang piscis caput hirundinis capiti simile, corpus procerum et spissum, ossa flava. Caeteris piscibus magnitudine et robore praestat; saltu se projicere solet.

Cha piscis gracili corpore et parvo, arenam ex ore emittere solet, unde nomen ipsi inditum est.

De pisce Fang, vid. not. in I. 1. 10.

Piscis Li vulgo He-yu, niger piscis, solus est, cujus fel sit dulce et edule; supra caput stellam gerit et noctu retrorsum eundo natat.

Yen piscis vulgo Nien magno capite, ore quadrato, dorso viridi ad nigrum vergente, sine squammis, carne insipida et pingui.

Ode 2.

Idem argumentum.

Kia piscis species cyprini piscis.

Ode 3.

Herus hospitem suum laudat.

Taï: Vulgo Fou-siu aliter Hiang-fou-tsee. Herba Tai confertim crescit. Est colore subrubro, est repens, hujus semina Hiang-fou-tsee dicta mulierum morbis curandis idonea.

Plantae Lae folia edulia.

Ki arbor similis arbori Tang-li de qua vid. notas in I. 2. 5.

De arbore Nieou vulgo Ouen-soui-chou, vid. not. in I. 10. 2.

Kin arbor vulgo Tchi-kiu alta et magna, albae populo similis; hujus fructus extremis ramis adnascitur, uno digito spissus, tribus fere pollicibus longus, sacchari dulcedinem habens, octava anni lunatione maturus. Vinum Sinense si in aedibus ex ligno ejus constructis asservetur, fit vappa: hujus tamen arboris fructus ad vinum defaecandum adhibetur.

De arbore Yu dicitur quod succus nutritius foliorum intimos canales permeans pulsum patiatur quemadmodum sanguis pulsum venae in homine patitur.

Ode 4.

Imperii Reguli imperatorem de more adeunt obsequii causa erga dominum suum, et imperator hos convivio excipit.

Ode 5.

Argumentum idem.

De arbore Tong, vide I. 4. 6.; ibidem de arbore Y.

Notae in Caput 3.

Ode 1.

Bene meritos de imperio Regulos, imperator convivio et munusculis excipit.

Ode 2.

Clari hospites convivantur.

De planta Go, vid. not. in I. 2. 2.

Ode 3.

Post Tching-ouang et Kang-ouang imperatores, dynastia Tcheou magis in dies pessumivit. Ab imperatore Kang-ouang octava progenies Li-ouang imperator ferox fuit et crudelis, ita ut Sinae eum expulerint et expulsus in regione Tchi delituit; interea Tartari in Sinas grassabantur et Suen-ouang imperatoris Li-ouang filius et in imperium successor contra eos ducem Ing-ki sive (vid. III. 3. 9.), Ki-fou

cum exercitu misit, qui debellatis hostibus victor rediens hac oda celebratur; et ipse hujus odae auctor esse dicitur.

Militum vestes uno colore erant, calcei albi, pileus ex rubro corio. Tsiao-hou, Huo-fang et King-yang regiones jam sunt mutato nomine, neque ita cognoscuntur. Conjicitur illas fuisse prope hodiernam Ning-hia in provincia Chen-si.

Taï-yuen regio est hodierna Tay-yuen-fou quae antiquum nomen etiamnum retinet, estque provinciae Chan-si metropolis.

Ode 4.

Imperante Suen-ouang Barbari in hodierna provincia Hou-kouang rebellarunt et Fang-chou contra eos dux belli praeficitur.

Tria curruum millia. Ex hoc numero curruum exsurgit exercitus 300,000 hominum; quilibet enim currus tres loricatos milites habebat, 72 pedites, 25 aurigas qui in curru currui regendo praeerant aut regendum currum adjuvabant; sic interpretes conjicinnt poetam per emphasin dixisse.

Sun avis, species accipitris, de ea vid. I. 11. 7. not.

Ode 5.

Suen-ouang imperator labans imperium confirmavit, belli pacisque laudes excoluit, domi forisque ejus legibus omnia parebant, amissas imperii regiones recepit, et sui juris esse vidit, quare hic celebratur hujusque venandi studium laudatur.

Sagittarii etiamnum ejusmodi annulum in pollice sinistro gerunt; eo utuntur, quo arcum tendant et arcus nervum adducant.

Ode 6.

Suen-ouang imperator venandi studiosus.

Dies Keng-ou est dies septima cycli sexageni, qui deinde annis computandis simul addictus fuit; vide librum patris Gaubil, Gallice observations astronomiques etc. Dies faustos et infaustos numerabant; cum quaelibet dies uno ex decem characteribus Kan dictis insigniretur; qui ex decem litteris Kan dictis primam litteram praeferebat, illum diem pro fausto, sequentem pro infausto habebant; et sic alternatim de caeteris dicendum diebus.

Tsi-tsu amnis in provincia Chen-si ad boream amnis Ouei, et confluit in fluvium Hoang-ho.

Ode 7.

Suen-ouang populos propter malum imperii statum vagos et errantes collegit et ad patriam redire sapientia sua et optimo regimine compulit; quare laetantes populi ejus laudes hac ode celebrant; ita interpretes.

Ode 8.

Adventant Reguli et imperatori expectanti dormire non licet.

Ode 9.

Malus imperii status defletur.

Ode 10.

Hujus argumentum nescitur.

De Tan arbore, vide not. in I. 7. 1.

NOTAE IN CAPUT 4.

Ode 1.

Milites contra ducem suum.

Ki-fou titulus erat honoris, quo gaudebat ille, qui loricatis militibus dux praeficiebatur: ita intelligendum est de duce Ing-ki, in II. 3. 3., qui hoc titulo cohonestatus erat.

Ode 2.

Amantissimum hospitem domi retinere conantur.

Fabae etiamnum sunt pro avena nostra equis pascendis apud Sinas; quae tamen fabae phaseoli potius dicendae sunt, et ab Europaeis fabis multum abludunt. Semiustulantur et milii paleis admistae equorum pascua sunt.

Ode 3.

Sub finem imperii Suen-ouang, qui imperatori attributam regionem incolebant, miseram vitam viventes, solum verterunt et in Regulorum ditiones migraverunt; cumque in novis terris infelicius quam in patria agerent, ad pristinas terras reverti cogitant.

Kao-leang, vide I. 10. 8.

Ode 4.

Peregrina gens de suis affinibus conqueritur.

Tchou olus vulgo ovina ungula dicitur, eo non nisi pauperes vescuntur.

Ode 5.

Sunt qui dicant hic agi de imperatore Suen-ouang qui novum palatium construxit relicto veteri.

Varias ursorum species numerant. Ursus Paei alto capite, altis pedibus, ferox.

Kouei insignia principis de iis, vide not. in I. 5. 1.

Houei serpens collo gracili, alto capite, vario colore, 8 pedum longitudine.

Etiamnum viget mos ille, ut nata puella tegula afferatur quae super infantis pannos reponitur. Dicitur telam texentes mulieres tegulam olim adhibere solitas, qua textam telam comprimerent; sic natae puellae apponi tegulam, qua significetur partes hujus esse telam texere.

Ode 6.

Bubulci et pastores gregibus suis numerosis laetantur.

Ode 7.

Sunt qui dicant hac ode carpi superbiam imperii administri, qui imperante Hoan-ouang imperatoris Ping-ouang filio et successore imperium administrabat. Secundum alios imperatoris Yeou-ouang administer imperii hac ode carpitur. Hoan-ouang autem imperator successit in imperium ann. 720. ante Chr. n.

Augustum coelum etc.: Dura sunt haec verba et blasphemiae similia quae caecus et summus dolor ipsis expressit; sed nonne David et Job in sancta scriptura sermonem ejusmodi ex ore excidere passi sunt? absit tamen ut ita loquentes excusatos omnino velim.

Ode 8.

Mali rumores sparguntur in vulgus quibus turbaur res imperii. Hoc carmen a magnate de titulo Tai-fou scriptum fuisse dicitur.

Pao-see: De hac famosa muliere quam Yeou-ouang imperator concubinam suam deperibat, et in uxorem legitimam habuit rejecta legitima uxore, unde mali labes, vide I. 6. 1 et 6. II. 5. 3. In historia Tong-kien legi de natalibus hujus mulieris fabulam quae ita narratur et ficta est, ut mulier illa in odium et execrationem magis magisque vocetur.

Ode 9.

Calamitas imperii lugetur.

Dies Sin-mao est 28. cycli sexageni.

De hac eclipsi vid. observations mathématiques Patris Gaubil, tom. 2, pag. 151.

Est solis eclipsis, fuit solis eclipsis etc. Textus sive Sinicus sive Tartaricus duarum interpretationum utram libet pati potest; sed secundum inter-

pretes legi debet fuit solis eclipsis, quae revera accidit, ut fert calculus et Sinensis et Europaeus; anno 6. imperii Yeou-ouang contigit illa juxta interpretes, qui annus est 776. a. Chr. n.; et anno 776. a. Chr n. sol vere defecit 6. septembris; mane post horam octavam fuit juxta patrem Adamum Schall media eclipsis visibilis in hodierna Si-gan-fou, provinciae Chen-Si, ubi degebat imperator Yeou-ouang. Eumdem calculum iniit P. Kegler, et veram eclipsim solis pariter invenit. Eundem P. Gaubil iniit etiam et idem invenit; sic res nihil habet dubii, caetera enim quae textus sunt, omnino etiam quadrant. Non igitur audiendus est interpres Tchou-tsee qui decimam lunationem textus interpretatur illam, quae est juxta calendarium dynastiae Hia et hodiernum; neque audiendus est Tching-hiuen, qui absurde asserit, hanc eclipsin pertinere ad tempus imperatoris Li-ouang; ille Tchou-tsee enim in astronomicis caecutit, et ab ipsis Sinensibus ambo exsibilantur.

Solis et lunae certas et fixas esse leges agnoscunt, aiunt tamen solem, qui juxta cursus sui leges defecturus esset, non esse defecturum, si mores hominum recti vigeant; inde quis occasionem arripiat dicendi, nullam futuram fuisse eclipsim, si homo non peccavisset?

Sub finem cujuslibet dynastiae historia Sinensis refert praesagia ejusmodi, quae dynastiam jamjam ruituram portendere credunt Sinenses; unde gentem sinicam prae caeteris fere gentibus orbis universi superstitiosam habeo, et historiam Sinensem, caeterosque libros Sinenses legenti patebit, quam aliena sit haec natio ab atheismo cujus ipsam insimulant nonuulli, inter quos alii corde ipsimet athei vellent nationem, quae sapientissima audit, pravitatis et impietatis suae consciam facere; alii, male

sani audientes de quibusdam philosophis Sinensibus, qui pauci quidem, nec sibi constantes, atheorum in modum ratiocinantur, in atheismi crimen gentem universam vocare conantur; nonne eodem jure Sinenses de gentis Europææ quibusdam, quos paucos esse maxime vellem, atheismum venditantibus audiendo, gentem Europaeam universam atheismi insimulare possent? Male sanos dixi: non enim sibi nec religioni satis attendunt asserendo gentem adeo antiquam, quae ab ultima antiquitate iisdem fere moribus, eodem imperii regimine perseveravit, quae libros antiquissima traditione acceptos diligentissime evolvit, cognitionis Dei expertem esse. Quidni de gente Sinica dicunt, quod verum est, quodque de omnibus idololatris gentibus dicendum esse arbitror, nempe Sinas hodiernos cognitionem Dei cum idololatria male conjungere, nec sibi ipsos constare; quemadmodum accidit populo Judaeo sub regibus suis in templo Deum adoranti et in montibus idola sua colenti.

In territorio hodiernae Hoai-kin-fou juxta librum Tcheou-li urbs regia bina erat; una imperatoris sedes, quae major dicebatur, et cujus territorium quadringentis in circuitu stadiis continebatur; altera minor, cujus territorium non nisi ducenta in circuitu stadia complectebatur; in utroque territorio imperator magnatibus et praefectis suis agros pro stipendio regio assignabat; de stadiorum mensura, vide not. ad I. 9. 5.

Ode 10.

Imperium pessimo statu, quo tempore non plane scitur.

Notae in Caput 5.

Ode 1.

Imperator pravis consiliis deditus recta consilia sequi non valet. Quis ille imperator, non dicitur.

De divinatione, vid. notas in I. 5. 4.

Jam tempus est tremendi. Tseng-tsee unus ex Confucii discipulis jamjam moriturus hunc locum usurpat in tetrabiblio Sinico See-chou, ubi haec ipsius morituri verba referuntur.

Ode 2.

Perturbato imperio inter se hortantur ad sibi cavendum ne in calamitatem incidant.

Duos homines, i. e. patrem et matrem.

De ave Tsi-ling, vide II. 1. 4. not.

Dicitur fucus erucae Ming-ling vermiculos in cavam arborem deferre et septima die hi vermiculi in fucos transformari dicuntur; unde filius adoptivus dicitur Ming-ling-tchi-tsee filius erucae Ming-ling.

Sang-hou, vulgo Tsing-tsio, viridis avicula vel Tsing-tsoui-niao viridi rostro avis. Avis illa quae olei est avida et carnivora in hac oda granis contra morem suum pasci dicitur. Pennas et collum habet vario colore depicta.

Ode 3.

Hujus odae argumentum est principis Y-kiou expostulatio, vide not. in I. 6. 1 et 6. II. 4. 8.

Jam narravimus de imperatoris Yeou-ouang filio haerede legitimo quem pater exhaereditavit et de ejusdem imperatoris uxore Yu-chin quam imperator ille repudiavit; hujus facti iniquitate exacerbatus infelix princeps, aut sicut nonnulli aiunt, magister ejus, haec cecinisse carmina dicitur.

Mencius hoc factum refert in suis libris et principis sortem suam deflentis, contra Kao-tsee. Mencii discipulum, qui principem ita graviter expostulantem minus probabat, causam tuetur.

De Tsee arbore, vid. notas in I. 4. 6.

Ambitiosa et nequissima mulier Pao-see imperatoris Yeou-ouang concubina, ejusque filius spurius Pe-fou, in imperatricem et principem haeredem conspirantes, illa imperatricis dignitatis gradum, hic principis haeredis honores ambiens, uxorem legitimam ejusque filium falso crimine accersunt et apud imperatorem fidem inveniunt; quod hac stropha innuitur. Quid criminis non dicitur.

Ode 4.

Magnas de titulo Taï-fou hominum dicteriis et falsis criminibus petitus, non habet viam, qua se ficto crimine liberet.

Quis ille magnas, quo tempore etc. non dicunt interpretes; est tamen unus qui dicit, hanc odam pertinere ad tempora de quibus historia Tchun-tsiou quae incipit ab anno 722. a. Chr. n., et pertinere ad regnum Tching de quo vide notas in I. 7. initio.

Voto vovendo mactabant victimam cujus sanguinem bibebant in testimonium juris jurandi, quo fidem suam obstringebant. Nunc frequens est apud Sinas idolatras votum vovere, et suis idolis promittere.

Ode 5.

Hujus odes argumentum dubium.

Sou-kong et Pao-kong ambo Reguli in imperatoris sedis Regiae territorio, prius amici; hic autem cum multis sceleribus se contaminavisset, ab illo rejectus fuit; quod de antiquis temporibus sic narratur, illud est hujus odae argumentum juxta nonnullos interpretes.

Kiun fistulae genus, sex foraminibus calamus.

Tchi ex luto fictum instrumentum in lunae falcatae formam, sex foraminibus quibus transverso canunt Sinae.

Yu vulpi similis, in fluviis Kiang et Hoai reperitur, vulgo Chi-ing dicitur; arena os implet suum quam in homines contorquet.

Ode 6.

Quidam falso crimine accusatus causa dicta Eunuchi poena damnatur, fitque Eunuchus quod graviter expostulat.

Jam dixi antiquitus legibus imperii reos mulctari et Eunuchos fieri, quod unum erat ex suppliciis, vide notas in I. 11. 1.

Nan-ki vannus australis, una ex 28 constellationibus sinicis, quae quatuor stellis constat, quarum duae Tchong dictae, una in pede sinistro sagittarii, altera in parte australi arcus, ambae in angusto spatio positae videntur; reliquae duae Che dictae, una in medio arcu, altera prope cuspidem sagittae ad austrum amplum spatium occupare in coelo videntur.

Tunc Eunuchi in palatio honoris causa See-gin, nunc Taï-kien dicuntur. De Eunuchis, vide notas in I. 11. 1.

Ode 7.

De amico infideli expostulatio.

Ode 8.

Populus laboribus et inopia premitur nec filiis parentes alere datur.

Gouo planta. Vid. not. in I. 2. 2.

Hao, vulgo Hao-tsee, vox generica herbarum silvestrium quae altae crescunt et sunt odoriferae, v. g. absinthium etc.

Yu planta tertia luna i. e. exeunte mense aprili tunc crescere incipit. Septima luna i. e. sub finem augusti florescit, et flos ejus violaceus, similis ricini flori, sub finem septembris semina profert in siliqua pisorum simili, quadrifida tamen et gracili.

Ode 9.

De imperii regimine quod populis orientalibus maximo est oneri et magnis sumptibus, querelae.

Haec ode scripta est cum dynastiae Tcheou aula adhuc in parte occidentali, scilicet in territorio hodiernae Si-gan-fou, versabatur; tunc enim Reguli in imperio fere ditiones suas habebant ad orientem urbis Regiae imperatoris.

Ko-pou, vid. notas in I. 1. 2.

Triangulare sidus sunt duae stellae sextae magnitudinis quae fere habent eamdem inter se ascensionem rectam, et quae orientaliores quam lucida lyrae cum ipsa conficiunt unum isosceles triangulum. Hoc sidus adhuc suum nomen Tchi-niu servat.

Tien-han, coeli fluvius; etiamnum de hoc nomine viam lacteam dicunt.

Dividebant aequatorem in 12 partes, quas Siang appellabant, quae 12 Siang respondent 12 horis hodiernis quas ab una media nocte ad sequentem mediam noctem numerant Sinae. Cum autem stellae suum parallelum percurrant citius quam sol v. g. suum; sol non percurrit nisi sex Siang cum stella ad septimum Siang jam pervenit; haec interpretatio, quae est interpretum ipsorum, non est aliena a textu; nam character Sinicus non distinguit septem a septimo, nec textus dicit septem Siang absolntos; sic de inchoatis potest intelligi.

Kien-niou nunc dicitur Ho-kou, fluvii tympanum; sunt tres stellae in collo aquilae quarum una altera est australior et altera quam tertia.

Interpres Tchou-tsee clare dicit vesperum et luciferum eumdem esse planetam scilicet Venerem, qui planeta cum Mercurio, ut ait ille, a Sole nunquam longius abest.

Tien-pi una ex 28 constellationibus Sinicis quae constat novem stellis, quarum octo sunt inter nares et oculum borealem Tauri, duae sextae magnitudinis,

duae simul conjunctae quintae magnitudinis, quatuor reliquae aut primae aut tertiae magnitudinis; sideris illius nona stella est in pectore. Quia constellatio illa figuram retis exprimebat, hanc coeli rete Tien-pi appellabant, quae nunc rete Pi.

Teou una ex 28 constellationibus cochlearis figuram referens; constat sex stellis, quarum duae in sagittarii arcus parte boreali; caeterae quatuor sunt trapezium scilicet in armo tertia trapezii, sub axilla quarta trapezii et caeterae trapezii.

Ki, vid. notas in od. 6. hujus capitis ubi haec constellatio dicitur Nan-ki.

Ode 10.

Gens misera calamitatem suam deflet.

Anni lunationes sive menses lunares hic non secundum dynastiae Tcheou calendarium sed secundum dynastiae Hia. Vid. not. in I. 15. initio.

Kue planta, vid. not. in I. 2. 3. ad hanc plantam altera Ouei dicta similitudine accedit.

Y arbor foliis parvis et gracilibus, bisuleis et acuminosis, cortice scabro, montana arbor, adunata et confertim crescens, ex cujus ligno rotarum orbitas conficiunt.

NOTAE IN CAPUT 6.

Ode 1.

Magnas imperio suam dat operam impiger.

Sinae, ubi e lecto surrexerunt, statim faciem lavant; qui mos videtur antiquus.

Ode 2.

Quidam negotiorum mole oppressus loquens inducitur.

Ode 3.

Magnas ad bellum in partes occidentales profectus, adventante exitu anni ad suos non recovatur, quod aegerrime fert.

Kieou-ye quae sit illa regio nescitur.

O d e 4.

Non ita scitur hujus argumentum. Sunt qui dicant hac ode imperatorem Yeou-ouang carpi qui musicae deditus et genio indulgens ad se redire non noverat, quasi aqua fluens, quae ad fontem suum non revertitur.

Ching tredecim compactum cicutis, quarum una incurva, in quam ori admotam aër inspirabatur, caeterae rectae, binae et binae, hinc inde dispositae inaequali inter se altitudine ex vase rotundo extabant.

King ex lapide, quadrae gallice esquerre simile est, appenditur et sic bacillo pulsatur.

Carmina Ya, Nan. Sunt carmina Ta-ya, Siao-ya, Chao-nan, Tchou-nan; carmina scilicet partium I. II. et III., quae hic interpretor, et sunt libri Chi-king, quorum erant accentus musici.

Yo salutationis modus, quo dextra sinistraque tenebatur nescio quid inter saltandum.

O d e 5.

Fiunt parentalia. Vid notas in I. 12. 7. II. 1. 6.

De Chou, Tsi frumentis, vid. not. in I. 6. 1.

Parentes suos mortuos colebant quasi si adhuc vivi fuissent, sic erga mortuos eodem studio se gerebant quo erga vivos.

Quid per patronum spiritum intellexerint non ita liquet; sed certum est antiquos Sinas agnovisse spiritus custodes regnorum, urbium, familiarum etc. Quos spiritus summo rerum omnium domino obsequiosos jussa ejus facessentes adstare credebant.

Tuaque in dies etc. hoc refertur ad hoc scripturae sacrae: honora parentes, ut sis longaevus supra terram.

O d e 6.

Parentalia commendantur.

Nan-chan mons ille, nunc Tchong-nan-chan, in territorio hodiernae Si-gan-fou, in provincia Chen-si.

Magnus Yu cujus opera imperator Yao usus est anno 2286 a. Chr. n. ad resarcienda deluvii damna vid. librum Chou-king patris Gaubil.

De Chi puero in parentalia vid. not. in II. 1. 6.

A coelo prospera etc. Sic debet intelligi, prospera quae in parentalibus petuntur, et annuntiantur passim in parentalibus, ea Sinas a coelo exspectare.

Pecudes adducuntur etc. Quisquis sit ille apparatus, ratio sacrificii, ut sacrificium est, non in exteriori pompa et caerimoniis posita est, sed in mente sacrificantis qui, victimam mactando et offerendo, Deum ut supremum rerum omnium dominum agnoscere et venerari intendit; illa autem exteriora nihil per se ipsa significant; nec sunt nisi signa ex instituto. Haec autem signa aliter apud Europaeos, aliter apud Sinas significant. Sic voluere antiqui Sinenses: nonne eodem jure quo nostri fuerunt? antiquorum autem Sinensium, qui hos ritus instituerunt, non fuit alia mens; voluerunt, ut filii et nepotes parentibus et avis suis convivium pararent mortuis, quasi si vivi essent: et hoc Sinae ad nauseam usque repetunt nobis Chi See Jou Chi Cheng; Chi Ouang Jou Ghi Tsun i. e. mortuos quemadmodum vivos colimus. Vid. notas superiores.

Primam ducimus originem: Textus Sinicus habet Hoang-tsou. Quid per Hoang-tsou intellexerint, non ita scitur. Interpretes intelligunt v. g. dynastiae conditorem aut familiae auctorem. Characteris Hoang sensus late patet et habet aliquid reconditi; Tsin-chi-hoang imperator primus est, qui hanc litteram titulo Hoang-ti imperatoris addictam esse

voluerit; cum ipsius antecessores non alium titulum, quam titulum regis Ouang aut domini et dominatoris Ti sibi arrogavissent; quod litterati dicto imperatori crimini vertunt.

Ad parentalia rubro colore pecudes sub dynastia Tcheou eligebantur, quia tunc ruber color erat primus. Quaevis enim dynastia suum eligebat colorem quem aliis praestare jubebat.

Ode 7.

Agricultura celebratur.

Mou jugerum sinense; vid. not. in I. 9. 5.

Che. Duo genera sacrificii Kiao-che dicta, quibus colitur unus summus rerum dominus et dominator, ut expresse ait Confucius et alii philosophi Sinenses. Templa duo unum ad boream, alterum ad austrum Regiae posita, ubi haec duo sacrificia fiunt, appellabantur etiam hoc nomine Kiao illud nomine Che; nunc autem Tien-tan, Ti-tan vocantur.

Sacrificium Che, ut ait liber Li-ki est pro terrae frugibus. Sed alii de hoc argumento; et ego plura deinceps.

Caerimonia Fang erat ad colendos spiritus quatuor mundi plagarum.

Liber Li-ki aperte dicit quemlibet pagum, quamlibet familiam frugum suarum partem conferre in sacrificium Che dictum; quod ad decimam in religione nostra recidere videtur, quodque innuitur in hac stropha. Praefectus Tseng-sun qui caerimoniis praeerat, horreis etiam ubi frumenta pro sacrificio Che collecta asservabantur, praepositus erat; hujusque horrea conferta et plurima sibi gratulantur: liceat mihi ita conjicere, et hunc locum ita interpretari.

Ode 8.

Idem quod supra.

Addensantur etc. Hic locus apud Mencium. In scriptura sacra et veteri testamento Deus vult spicas residuas post messem viduis et egenis a messoribus relinqui colligendas.

Ode 9.

Reguli ad imperatorem congressu facto in Regia orientali Lo-y.

Vir sapiens, i. e. imperator.

Te amnis, unde Lo-y orientalis Regia, quae Lo-yang postea dicta est, amni adjacens. Hic amnis nomen antiquum retinet, confluit in fluvium Hoang-ho ad boream civitatis Ho-nan-fou in provincia Ho-nan.

Territorium urbis regiae in sex partes, Hiang dictas, dividebatur, in earum qualibet numerabantur 12500 familiae. Quaelibet familia militem unum dabat; et 12500 familiarum sive unius Hiang milites unam legionem sive Kiun 12500 hominum conficiebant; atque ita sex Kiun sive legiones 75000 hominum exercitum conflabant. Illae erant imperatoris propriae copiae, praeter quas milites erant quos Reguli pro virili parte dare tenebantur.

Ad bellum. Quid bellum, quis imperator, non dicitur.

Ode 10.

Nunc imperator ad regulos.

NOTAE IN CAPUT 7.

Ode 1.

Imperator regulos convivio excipit; hi autem illum hac ode compellant.

Sang-hou de hac avi vid. II. 5. 2.

Si, poculum ex bovis silvestris cornu elaboratum; vid. I. 1. 3.

Ode 2.

Imperator regulis respondet.

Ode 3.

Cognati inter se convivantur.

De planta Niao; vid. notas in I. 10. 11. et I. 4. 8.

De planta Niu-lo; vide not. in I. 10. 11.

Ode 4.

Nuptiae celebrantur et fit convivium. Vid. I. 12. 6.

Ode 5.

Hac ode carpitur imperator, aures faciles praebens calumniantibus.

Musca obtrectatorem innuit quae, ut dicitur, in nigro cacatum egerit album et in albo nigrum. Sed melius interpres Tartaricus qui dicit muscam album inquinare et in nigrum convertere.

Ode 6.

Regni Ouei regulus Ou-kong vino deditus; deinde correxit mores et hoc cecinit carmen, quo ebriorum convivium describit vinoque deditos carpit.

De regno Vouei; vid not. in I. 9.

Regulus ille vivebat tempore imperatoris Ping-ouang; mortuus est anno 758 a. Chr. n.

Varius erat sagittariorum scopus pro cujusque vario dignitatis gradu; imperatoris sagittantis scopus altus erat 10 pedibus; erat ex pelle ursi, ubi depictus erat ursus, terra et nubes; scopus in medio albus. Regulorum scopus in medio rubber erat, ex pelle cervi etc.

Sagittarius, qui a scopo aberraverat, plectebetur magno poculo vini, quod siccare tenebatur.

Togae: Erat etiam armorum saltatio.

In 7.

Reguli ad imperatorem qui illos convivio excipit. Prius diceres hanc esse satiram contra imperatorem; et

regulus Ou-kong de quo modo dictum est, Yeou-ouang imperatorem vino deditum carpere dicitur.

Hao regio ubi erat regia occidentalis apud Si-gan-fou.

In 8.

Jam imperator ad regulos.

Regulorum et praefectorum insignia hoc nomen adhuc retinent; sed Pou antiqua insignia securis figuram imitabantur; hodierna draconis, avium.

Kin terrestris est apium, aquatica autem a terrestri non multum abludit, quoad figuram et saporem. Apium tamen terrestre plantam hanc aquaticam sapore vincit.

Qui pedites iter faciunt, etiamnum crura sua vittis circumligant.

Arbor Tso caedua arbor unde ligna ad forum.

Ode 9.

Carpitur imperator, nescio quis, qui obtrectatores et bilingues audiens nullam eorum qui erant e regia stirpe principum rationem ducebat.

Barbari Mao erant occidentales qui etiam de hoc nomine dicebantur; vid. not. in I. 3. 11.

Ode 10.

Haec ode obscura.

Secundum interpretes: Imperator humanitatis leges servat; sic imperii Reguli eum de more non adeunt obsequii causa et hoc illa oda innuitur.

NOTAE IN CAPUT 8.

Ode 1.

Perturbato statu imperii et populis huc et illuc errantibus tunc juvat meminisse aulae regiae pristinum splendorem qui jam totus periit.

Taï, de qua planta, vid. not. in II. 2. 3.

Familiae Tcheou regiae quae erant principes puellae, illae de nomine In aut Ki dicebantur.

Sinarum capilli promissi nec crispi.

Ode 2.

Uxor virum suum absentem desiderat.

Lou planta; vid. II. 2. 3.

Fang piscis; vid. I. 1. 10.

Siu piscis; vid. I. 8. 9.

Ode 3.

Suen-ouang imperator principi Chin ditionem Sié in principatum attribuit et principem Chao-mou-kong (Chao-pe scilicet) legavit, qui ibi urbem construeret. Conducti opifices ad austrum pergentes ita canere inducuntur. Vid. III. 3. 5.

Regio Sié in Ho-nan provincia, in territorio hodiernae Teng-tcheou.

500 homines conflabant turmam unam dictam Liu et quinque turmae Liu turmam unam dictam Chi. Imperator iter faciens unam turmam Chi in suo comitatu habebat; magnas de titulo Kin autem unam turmam Liu.

Ode 4.

Mulier virum suum revisit.

Ode 5.

Querelae imperatricis ab imperatore Yeou-ouang repudiatae, vid. I. 6. 6.

Kien et Pe-mao sunt plantae similes; vid. I. 12. 1. et I. 15. 1.

Tsiou avis, vulgo Tou-tsiou, collo et capite implumis, vorax pisces et serpentes comedit.

Yuen, Yang sunt species anatis, capite rubro albis maculis distincto, cauda nigra, alis flavis: mascula dicitur Yuen et foemina Yang; si alterutra capiatur, altera mori dicitur.

Ode 6.

Infimae plebis quidam laboribus premitur et sibi quaerit patrocinium. Ita interpretes.

Strophe 2. apud tetrabiblii librum Ta-hio.

Ode 7.

Celebratur convivium.

Ode 8.

Milites bellicis laboribus impares conqueruntur.
Quod bellum, non dicitur.

De sidere Pi; vid. not. in II. 5. 9.

Ode 9.

Id queruntur quod in labantis imperii tempora inciderint.

San-sing sidus; vid. not. in I. 10. 5.

Ode 10.

Imperium proxime ruiturum defletur.

NOTAE IN LIBRUM CHI-KING.

PARS III.

CAPUT 1. — Ode 1.

Quae hac ode et sequentibus encomia sunt regiae familiae Tcheou, ea a principe Tcheou-kong scripta esse dicuntur, quibus juvenem Tching-ouang imperatorem, avorum proposito ad imitandum exemplo, doceret.

Imperator Yao principem Ki seu Heou-tsi principatu donavit anno 2286 a. Chr. n., et ille Heou-tsi auctor est familiae Tcheou.

Familia Tcheou etc.: Hic locus apud tetrabibilii librum Ta-hio qui hanc stropham meminit.

Dynastia In est dynastia Chang, quae modo hoc, modo illo nomine dicitur, quam Ou-ouang filius principis Ouen-ouang de imperio deturbant.

Ode 2.

Tchi: De hoc regno nescitur.

Amnis Ouei confluit in fluvium Hoang-ho in provincia Ho-nan.

Reginam: Principis Ouen-ouang uxor Taï-see dicitur.

Mou-ye in territorio hodiernae Ouei-houei-fou in provincia Chan-si non longe ab urbe regia dynastiae Chang; non longe a fluvio Hoang-ho ad boream fluvii.

Tan arbor; vid. not. in I. 7. 1.

De re militari; vid. I. 3. 6.

Chang-fou in historia appellatur Liu-chang.

Ode 3.

Gentis Tcheou regiae primordia.

Tan-fou; vid. stemma chronologicum in prolegomenis.

Ki mons in territorio hodiernae Fong-tsiang-fou in provincia Chen-si. Ita narrat Mencius, qui quarto saeculo ante Christum florebat, de principe Tan-fou sive Taï-ouang avo principis Ouen-ouang.

Taï-ouang in regione Pin (vid. notas in I. 15. initio) regnabat regulus tributarius imperii. Tartari hanc regionem invasuri venerunt; tunc regulus barbaros illos muneribus delinire eosque ut abirent rogare, illis pelles, argentum, uniones, equos et canes offerre, sed frustra; sic regulus subditorum suorum seniores convocans ipsos alloquitur his verbis: Barbari ex mea ditione cedere negant: illud dictum audivi, sapientem suis esse saluti, non perniciei; atque ita quod alio demigrem et a vobis abeam, id nolite gravius ferre; dixit et alio profectus est; ad ortum pergens montem Leang-chan praeterivit et ad radices montis Ki pervenit, ubi urbem construxit. Principis Tan-fou subditi principem suum a se amittere non sustinentes hunc frequentes secuti sunt, quos ad nundinas properare

Ode 6.

Infimae plebis quidam laboribus premitur et sibi quaerit patrocinium. Ita interpretes.

Strophe 2. apud tetrabiblii librum Ta-hio.

Ode 7.

Celebratur convivium.

Ode 8.

Milites bellicis laboribus impares conqueruntur.
Quod bellum, non dicitur.

De sidere Pi; vid. not. in II. 5. 9.

Ode 9.

Id queruntur quod in labantis imperii tempora inciderint.

San-sing sidus; vid. not. in I. 10. 5.

Ode 10.

Imperium proxime ruiturum defletur.

NOTAE IN LIBRUM CHI-KING.

PARS III.

CAPUT 1. — Ode 1.

Quae hac ode et sequentibus encomia sunt regiae familiae Tcheou, ea a principe Tcheou-kong scripta esse dicuntur, quibus juvenem Tching-ouang imperatorem, avorum proposito ad imitandum exemplo, doceret.

Imperator Yao principem Ki seu Heou-tsi principatu donavit anno 2286 a. Chr. n., et ille Heou-tsi auctor est familiae Tcheou.

Familia Tcheou etc.: Hic locus apud tetrabibilii librum Ta-hio qui hanc stropham meminit.

Dynastia In est dynastia Chang, quae modo hoc, modo illo nomine dicitur, quam Ou-ouang filius principis Ouen-ouang de imperio deturbant.

Ode 2.

Tchi: De hoc regno nescitur.

Amnis Ouei confluit in fluvium Hoang-ho in provincia Ho-nan.

Reginam: Principis Ouen-ouang uxor Taï-see dicitur.

Mou-ye in territorio hodiernae Ouei-houei-fou in provincia Chan-si non longe ab urbe regia dynastiae Chang; non longe a fluvio Hoang-ho ad boream fluvii.

Tan arbor; vid. not. in I. 7. 1.

De re militari; vid. I. 3. 6.

Chang-fou in historia appellatur Liu-chang.

Ode 3.

Gentis Tcheou regiae primordia.

Tan-fou; vid. stemma chronologicum in prolegomenis.

Ki mons in territorio hodiernae Fong-tsiang-fou in provincia Chen-si. Ita narrat Mencius, qui quarto saeculo ante Christum florebat, de principe Tan-fou sive Taï-ouang avo principis Ouen-ouang.

Taï-ouang in regione Pin (vid. notas in I. 15. initio) regnabat regulus tributarius imperii. Tartari hanc regionem invasuri venerunt; tunc regulus barbaros illos muneribus delinire eosque ut abirent rogare, illis pelles, argentum, uniones, equos et canes offerre, sed frustra; sic regulus subditorum suorum seniores convocans ipsos alloquitur his verbis: Barbari ex mea ditione cedere negant: illud dictum audivi, sapientem suis esse saluti, non perniciei; atque ita quod alio demigrem et a vobis abeam, id nolite gravius ferre; dixit et alio profectus est; ad ortum pergens montem Leang-chan praeterivit et ad radicem montis Ki pervenit, ubi urbem construxit. Principis Tan-fou subditi principem suum a se amittere non sustinentes hunc frequentes secuti sunt, quos ad nundinas properare

dixisses, ita alacri animo et magno numero proprio domino se adjungebant.

Kin, vulgo Ou-teou, i. e. corvi caput nec non Fou-tsee, medicinalis. Radice utuntur, quae unica crescit, et ad corvi caput similitudine accedens nomen invenit suum, natura calida et cum cinnamomo Sinico conjungitur.

Testudini etc.: De divinatione; vid. not. in I. 5. 4.

Che sacrificium; vid. not. in II. 6. 6.

Effugere ille etc.: Hoc refertur ad Ouen-ouang principem, qui apud imperatorem Tcheou-ouang ultimum dynastiae Chang in crimen vocatus est, et ab imperatore in vincula conjectus fuit. Hic locus apud Mencium.

Ode 4.

Ouen-ouang reguli encomium.

Tchang erat dimidium Kouei de quo ad I. 5. 1. et quo utebantur pro catino in parentalibus.

Chi sive doctor, qui populos docebat.

Amnis King confluit in amnem Ouei in provincia Chen-si.

Rex Tcheou, i. e. Ouen-ouang.

De Chi sive Kiun legione; vid. not. in II. 8. 9.

Ode 5.

Idem quod quarta.

Ode 6.

Tcheou-kiang sive Taï-kiang erat avia principis Ouen-ouang et uxor reguli Tan-fou qui etiam dicitur Taï-ouang.

Sic spiritui etc.: Hoc videtur poëtice dictum; secunda stropha et sequentes referuntur ad Ouen-ouang.

Magnas aerumnas etc. Vid. notam ultimam ad III. 1. 3.

Ode 7.

Hac ode celebrantur imperatoris Ou-ouang majores.

Regio Mi, regiones Kong et Youen in territorio hodiernae Ping-leang-fou in provincia Chen-si.

Tsong in territorio hodiernae Si-gan-fou, in provincia Chen-si.

Ouen-ouang in obsidenda urbe Yong dicta in regno Tsong triginta dies jam insumpserat, neque urbs se dediderat; sic urbis expugnationem in aliud tempus differre coactus, interim abivit et cum majori exercitu reversus urbem rursus oppugnavit et hanc expugnavit; quod victori magnum nomen peperit, et gentes undique Ouen-ouang victori se dedidere.

De caerimoniis Lœi seu Ma pro belli felici exitu alii alia narrant.

Ode 8.

Ouen-ouang celebratur, qui suorum sibi animos devinxerat.

Plana superficie etc. Hic locus apud Mencium initio. Hic agitur de substructionibus principis Ouen-ouang. Dynastia Tcheou dicitur luxum et magnificentiam hortorum, aedium et vestium in Sinas prima invexisse.

Ode 9.

Ouen-ouang et Ou-ouang pater et filius celebrantur, nec non imperator qui his successit tantis avis dignus nepos. Tres principes Taï-ouang, Ouang-ki et Ouen-ouang.

Ode 10.

Laudes principis Ouen-ouang et imperatoris Ou-ouang.

Tsong regnum de quo notas ad III. 1. 7.

Fong regio in territorio hodiernae Si-gan-fou.

Regio Hao erat etiam in territorio hodiernae Si-gan-fou. In regione Hao erat posita imperatoris Ou-ouang sedes regia; et in regione Fong sedes regia principis Ouen-ouang; et curia imperatoris a curia principis Ouen-ouang distabat ad ortum 35 stadiis.

Ki cichorea agrestis.

NOTAE IN CAPUT 2.

Gentis Tcheou inclytae origo. Vid. stemma chronologicum in prolegomenis.

In vestigio, quod etc. Licet de supremo rerum domino hic sermo fiat tanquam de homine, qui pedis sui maximo digito vestigium reliquit humi impressum, non inde tamen debet inferri quod Sinae Deum hominem esse arbitrentur aut unquam arbitrati sint, passim asserentes sive in antiquis sive in recentibus libris, tum in familiari sermone tum in libris supremum rerum dominum esse sine figura, sine odore, sine voce, ut loquuntur. Quin immo hodierni Sinae nobis et nostrae religioni, quam non intelligunt, crimini vertunt, quod mulierem agnoscamus Dei matrem, quod qui nulla est figura Deum pingamus hominem; et Tchou-tsee interpres non parum laborat in explicando illo somnio, ubi supremus rerum Dominus imperatori Ou-ting dynastiae Chang in somnis apparuit; quomodo, inquit, qui nullam habet figuram apparere potuit? Rem tamen in dubium non revocat, sed quomodo sit intelligenda non videt. Quod pertinet ad pedis digitum qui supremo rerum domino affingitur potuerunt ita poëtice loqui, potuerunt allegorice. Nonne dicimus Deum digito suo mandata decalogi insculpsisse?

Quoad fabulam natalium principis Heou-tsi, patet illam inventam fuisse ad commendandam gentis Tcheou

originem; simili fabula commendatur origo familiae Chang ut videbitur inferius, et dynastiae sequentes his artibus usae sunt. Tartari ipsi, qui nunc regnant, nonne asserunt gentis suae originem repeti a virgine, quae nullo viri consortio peperit? sic audivi a patre Parrenin.

Interpretes plerique hanc fabulam rejiciunt; clare tamen rejicere non audent. Alii, videmus, inquiunt, in rerum natura generationes mirabiles; initio mundi primus homo certe aliter genitus est ac homines caeteri. Animal Ki-ling et draco aliter ac bos et piscis. Quidni vir sanctus aliter gignetur, ac vulgus hominum? Ita illi interpretes, quorum modus loquendi nobis viam facit ad praedicandam incarnationem Christi.

Kiang hujus mulieris agnomen et Yuen ipsius nomen. Ab imperatore Chin-nong oriunda erat et viro de nomine Yeou-taï nupserat.

Imperator Yao principi Heou-tsi hanc regionem Taï attribuit, propter ejus praeclara merita et agriculturae scientiam.

Sacrificia peculiaria instituit in regione quae ipsi subjacebat.

Pe hujus propriam vim nesciunt.

Ode. 2.

Post peracta parentalia convivantur.

Sunt arcus etc. Post peractum convivium se in sagittando exercent, quod etiamnum usuvenit.

Taï dicitur aquaticus porcus.

Ode 3.

Hospites regi, qui eos convivio excepit, gratias agunt post acta parentalia.

De puero Chi in parentalibus; vid. not. in II. 1. 6.

Ode 4.

Peractis parentalibus die postera meminisse juvat parentalium concentus musici, et inter se epulantur.

Nobis evenient prospera: Parentalia ad pietatem filialem pertinere existimant Sinae, inde prospera sibi futura sperant.

Ode 5.

Imperator populorum felicitati studens multa bona a coelo sibi comparat.

Ode 6.

Cum jam Tching-ouang esset imperator salutandus rem imperii per se ipse gesturus; princeps Chao-kong hoc cecinit carmen, ut, exemplo principis Lieou-kong (de quo vide stemma chronologicum) avito ad imitandum proposito, imperatori juveni virtutis adderet stimulos.

De principe Chao-kong vide notas in I. 2. initio.

Alto in colle etc. Scilicet cum sedem regni sive ditionis suae transtulit in regionem Pin, de qua vide notas in I. 15. initio.

De jugero Sinensi et mensuris; vide I. 9. 5.

Vectigali etc. Haec ratio vectigalium dynastia Tcheou imperante viguit. Hanc deinceps abolitam restituere aliquando conati sunt sed frustra. De hoc more pendendi vectigalis multa Mencius.

Amnis Youi in amnem Kin, et amnis Kin in amnem Ouei confluit in provincia Chen-si.

Ode 7.

Imperatoris Tching-ouang encomium a principe Chao-kong.

Ode 8.

Argumentum idem.

Spiritus omnes etc. Imperator Sinensis est rex et sacerdos qui spiritibus colendis praeest, spirituum colendorum jura dat, caerimonias decernit et sacrificia facit in templis Kiao et Che. Haec fuit ab omni aevo usque adhuc apud Sinas imperatoris dignitas, haec praerogativa; quod hoc loco innuitur.

Fong-hoang avis, phoenix Sinica, fiota; de hac alii. Phoenix dicitur avis indica, essetne avis Sinica Fong-hoang?

De arbore Ou-tong vid. not. in I. 4. 6.

Ode 9.

Hujus argumentum dubium.

Sunt qui dicant principem Chao-mou-kong hac ode carpere imperatorem Li-ouang. Secus autem alii, qui aiunt hac ode praefectos imperii se invicem adhortari ad pravos fugiendos, pacem publicam tuendam etc.

Ode 10.

Calamitates et malus rerum status defletur.

De puero Chi, vid. not. in II. 1. 6.

Hiun et Chi; De his instrumentis, vid. not. in II. 5. 5.

Kouei; Vide jam notas ad I. 5. 1.

Coelum augustum etc. Haec doctrina non modo in libris sed in effatis et vulgi proverbiis usurpatur apud Sinas.

Notae in Caput 3.

Ode 1.

Haec ode scripta est contra Li-ouang imperatorem ut exemplo Tcheou-ouang dynastiae Chang ultimi deterritus resipisceret.

Ode 2.

Hanc odam scripsit Ou-kong nonagenarius regni Ouei regulus et illud sibi carmen cantari volebat, ut sese ad virtutis studium incitaret. De illo regulo vid. notas in I. 5. 1.

Ode 3.

Haec ode in Li-ouang imperatorem.

Hac stropha innuitur rebellio Sinarum contra imperatorem Li-ouang anno regni ejus 37. ante Chr. 842.; cum imperator quem rebelles capere cogitabant, in regionem Tchi (vide notas in III. 3. 7.) aufugit, ubi

ad mortem suam usque latuit; interim fuit interregnum et duo principes loco imperatoris imperium rexerunt, donec mortuo imperatori successerit princeps filius haeres qui fuit imperator Suen-ouang.

Ode 4.

Suen-ouang sic pro populo suo prae siccitatis calamitate laboranti vota vovens et publicas miserias deflens inducitur et hac ode celebratur. Id contigit anno ante Chr. 822., quo anno fuit illa siccitas. De hac oda habet historia Sinensis, quae refert, quo tempore, qua occasione scriptum sit illud carmen.

In genere notandum est me non distinguere epocham odae ab epocha facti quod est odae argumentum; quia facti et odae una et eadem epocha; factum enim quodvis insigne statim versibus mandabatur. Haec nota valeat pro superioribus odis et pro sequentibus.

De Ché sacrificio vid. not. in II. 6. 6. Hoc sacrificium fit vere ineunte; tunc imperatores non modo sacrificant, sed etiam arant; et hoc ab ultima antiquitate; quamquam terram arandi mos videtur minus antiquus; quando incoeperit non liquet; sed hujus sacrificii mos cum monarchia Sinensi incoepit.

Ode 5.

Hac oda celebratur Chin-pe vir princeps, imperatoris Suen-ouang avunculus, de quo vide not. in II. 3, 8., et qui in novam ditionem ipsi ab imperatore attributam proficiscebatur; hunc poëta In-ki-fou comitatus est et principem Chin-pe laudibus prosequitur.

Montes Yo etc. Non solum in templis Kiao et Che fiebant summo rerum domino et dominatori sacrificia, sed etiam in montibus imperii celeberrimis et ad id selectis, qui montes Yo dicebantur, ubi colebantur et varii spiritus quos summo rerum domino adstare ministros credebant, ita liber Li-ki de ritibus

imperii disserens; ita historia Tong-kien. Montes illi initio quatuor erant, unus ad ortum et vocabatur Taï, alter ad occasum Hoa dictus, tertius ad austrum Ho dictus, quartus ad boream Heng dictus. Montibus suum esse spiritum credebant quem in his montibus colebant. (Vide Memoires sur les Chinois, vol. II. p. 182.)

Principes duo Fou et Chin ambo imperatoris Suen-ouang affines.

De titulo Pe, regulorum, vide not. in I. 2. 5.

Kouei; vid. not. in I. 5. 1.

Ode 6.

Principis Tchong-chan-fou, imperante Suen-ouang, reguli laudes cantantur a principe In-ki-fou, de quo oda 5.

In regno Tsi, de quo vide notas in I. 8. initio.

Tchong-chan-fou est regulus Fan de quo historia Sinensis.

Ode 7.

Regni Han regulus in solio recens imperatorem, de more, obsequii causa adit, et hunc abeuntem hoc prosequuntur carmine.

Leang-chan mons in provinciae Chen-si territorio Si-gan-fou ubi reguli ditionis Han regnabant.

Bambucum est species arundinis quae ad altitudinem arborum crescit, ut maxime novem pollicum ambitu; mirum est quanto sit usui cathedris, sedilibus, lectis, thecis, canistris etc. concinnandis. Bambuco etiam utuntur verberandis reis, sive publica sententia, sive in privata educatione plectendis; cibum etiam praestat hominibus arundo illa, cujus tenera propago a cinara Europaea non multum quoad saporem abludit.

Per regionis Fen regem innuitur imperator Li-ouang qui latere coactus est in regione Tchi ubi est regio Fen, scilicet in provinciae Chan-si ho-

dierno territorio Fen-tcheou-fou; vide notas in III. 3. 3.

In more positum erat ut quae regulo nubebat secum novem puellas sive pedissequas deduceret in sponsi domum. Hodierni mores ab hoc more non abludunt.

Yen regio, in territorio Pekini hodierni, quod territorium appellatur Chun-tien-fou; ibi erat ditio quam imperator Ou-ouang principi Chao-kong attribuit.

Ex hac stropha patet ditionem Han prius fuisse in plaga australi, et postea translatam fuisse ad boream in territorium Si-gan-fou.

Pi fera ad ursum et tigridem similitudine accedit, rubris est pilis et maculosis.

Ode 8.

Suen-ouang imperator contra barbaros australes belli ducem Chao-mou-kong legat. Anno a. Chr. 826.

Hoai regio quam alluit fluvius Hoai in provincia Kiang-nan.

Princeps Chao-hou est princeps Chao-mou-kong.

Kouei erat pro sceptro, erat etiam in caerimoniis pro lance, vel potius pro hypopatera.

Kiu; Milium nigrum, quo in sacrificiis utebantur; et vinum Tchang, vinum odorum in sacrificiis.

Regio Tcheou, unde gens Tcheou inclyta oriunda erat, quae primum principi Chao-kong a Ouen-ouang attributa fuit; vid. not. in I. 2.

Ode 9.

Suen-ouang contra regionis Hoai sive Hoai-siu barbaros bellum meditatur et per se ipse exercitum ducere statuit anno ant. Chr. 826.

In, scilicet In-ki-fou, auctor odarum 5. et 6. huj. cap.

De Hoai regione vide notam superiorem in superiore oda.

Regio Pou in regione Hoai. Regio Siu in provincia Kiang-nan hodierna Siu-tcheou. Regionis Siu regulus aulam imperatoris petere ad obsequium praestandum negabat; sic imperator cum exercitu rebellem domare per se aggreditur.

Ode 10. Contra Eunuchos et mulierem Pao-see.

Carpitur Yeou-ouang imperator qui mulierculam Pao-see deperibat et Eunuchis palatii nimium tribuebat, unde mali labes. Vid. I. 6. 6.

Nota plures Sinensis imperii dynastias periisse propter Eunuchos, quibus imperator nimium credebat. Vid. I. 11. 1.

Hiao et Tchi aves. Vid. not. in I. 11. 1. et I. 12. 6.

De barbaris vid. not. in I. 3. 11.

Ode 11.

Contra Yeou-ouang qui improbos in regimen imperii adhibebat.

De Tchao-kong vid. I. 2. initio.

NOTAE IN LIBRUM CHI-KING.

PARS IV.

CAPUT 1. — ARTICULUS I.

Ode 1.

Condita urbe Lo-y in aulam orientalem a principe Tcheou-kong. Princeps ille regiminis sui, sub puero Tching-ouang imperatore, anno septimo regulorum comitia in nova urbe habuit et Ouen-ouang mortui parentalibus cum illis adesse voluit dux et antesignanus. Haec autem ode has inter caerimonias cantata fuit, cujus princeps auctor fuit.

Ode 2.

Principis Ouen-ouang parentale carmen imperatoris Tching-ouang nomine.

Hujus etiam auctor est Tcheou-kong.

Ode 3.

Argumentum idem quod supra.

Ode 4.

Qui parentalibus adfuerunt reguli, ii musico concentu excipiuntur ab imperatore.

Ode 5.

Taï-ouang sive Tan-fou principi avo principis Ouen-ouang parentatur.

De monte Ki vid. notas in III. 1. 3.

Ode 6.

Tching-ouang imperatori carmen parentale.

Ode 7.

Ouen-ouang principis carmen parentale.

Ejusmodi modus loquendi non dirigebatur nisi ad illos quos in coelo versari et supremo rerum domino adstare existimabant.

Ode 8.

Imperator imperium lustrando regulorum comitia habet, quibuscum solenne sacrificium facit, et hoc recitatur carmen.

Ode 9.

Ou-ouang, Tching-ouang trium imperatorum funebre carmen.

Ode 10.

Principis Heou-tsi qui fuit gentis Tcheou regiae auctor, carmen parentale.

Agriculturae praepositus fuit ab imperatore Yao.

ARTICULUS II.

Ode 1.

Qui rei agrariae praefecti sunt ad eos fit adhortatio.

Initio veris quo imperator facit sacrificium Che dictum pro messe futura imperator arat.

De Pao-kie istarum duarum litterarum sensu non ita constat apud interpretes; et ego agrum quem imperator arat, interpretatus, non nisi dubitando interpretatus sum; istas tamen duas litteras interpretati omnes agnoscunt istis litteris agrum innui, qui ad sacrificia pertineret.

Culta novalia etc. Hic innuitur messis duplex quae etiamnum colligi solet. Vere exeunte sive initio aestatis colligitur prior messis; et simul terra aratur pro sequenti messe autumno tempore colligenda; cui posteriori messi favent pluviae tempore aestivo frequentes in Sina, maxime in hac parte boreali, qui sedes erat imperii Sinensis antiqui.

Ode 2.

Imperatoris Tching-ouang leges agrariae.

In quolibet agro etc.; vid. I. 9. 5. III. 2. 6.

Ode 3.

Ex familia Hia regia oriundus regni Ki regulus et ex familia Chang regia oriundus regni Song regulus; (regnum Song in territorio hodiernae Po-tcheou prope Kouei-te-fou, quae est in provincia Honan, et regnum Ki in Ping-yang-fou provinciae Chan-si) ambo veniunt, et imperatori parentanti suam dant operam.

Tempore dynastiae Tcheou, qui ex dynastiis Hia et Chang superstites erant, sanguine regio principes illi pro hospitibus habebantur a dynastiae Tcheou imperatoribus; tales erant regnorum Ki et Song reguli.

De avi Lou-see vid. not. in I. 12. 1.

Hic locus in tetrabiblii libro Tchong-yong memoratur.

Ode 4.

Propter uberem messem autumno et hyeme fiebat coelo sacrificium et carmen illud cantabatur.

Ode 5.

Carmen parentale.

Caeci erant musici.

Avos nostros etc. Poëtice dictum. Est cum quaeramus a Sinis utrum credant avos comedere, qui in parentalibus apponuntur, cibos; utrum credant avos suos sonis musicis parentalium delectari; parihus quaestionibus injuriam fieri sibi existimant; et nos irrident, qui talia quaeramus; quod saepe mihi contigit.

Ode 6.

Carmen parentale.

Oblationes non sunt nisi cibi qui apponuntur coram feretro, idque aliquantisper, et postea hinc auferuntur et comeduntur a familia mortui.

Bonis augemur etc. Quia parentalia ad pietatem filialem pertinere existimant; quae pietas in parentes multa bona a coelo, ut aiunt, consequitur.

De piscibus Tchang et Yen vide II. 2. 1.

Ode 7.

Imperatoris Ou-ouang patri suo Ouen-ouang parentale carmen.

Ode 8.

Reguli adsunt imperatori qui principi Ou-ouang parentabat.

Tchao-chao est locus tabellae ubi insculptum erat nomen imperatoris Ou-ouang in aedibus parentalium. Sub dynastia Tcheou in aula majorum sive parenta-

lium aedibus tabella principis Heou-tsi utpote conditoris familiae erat in medio; ad dexteram erat tabella principis Ouen-ouang et ad sinistram tabella imperatoris Ou-ouang; caeterae quinque ex septem omnino tabellis, in majorum aula, erant tabellae mortuorum qui imperatorem tunc regnantem proxime antecesserant; ita ut quolibet imperatore mortuo auferretur tabella una, illius scilicet ex avis, qui gradu remotissimo generationis ab imperatore regnante distabat; qui mos etiamnum viget; vide I. 12. 7.

Ode 9.

Princeps de nomine Ouei-tsee improbi Tcheou-ouang dynastiae Chang ultimi imperatoris frater natu major, regni Song ab imperatore Ou-ouang regulus salutatus, virtute insignis vir parentanti imperatori adfuit et ab imperatore benigne excipitur.

Dynastia Chang albo colori primas dabat.

Ode 10.

Tcheou-kong princeps imperatoris Ou-ouang laudes celebrat.

Articulus III.

Ode 1.

Tching-ouang imperator adhuc puer luctus absoluto tempore parentalium aedes adit, et illa canit carmina.

Ode 2.

Idem.

Ode 3.

Sic idem imperator ad magnates suos qui peroraverant imperatorem ad virtutem adhortati.

Ode 4.

Sic juvenis imperator Tching-ouang absoluto luctu.

Ode 5.

Rei agrariae descriptio.

De pipere Tsiao vid. not. in I. 10. 6. Ita vinum, quod potius est cervisia, conficitur: Oriza aquae ferventis vapore coquitur; semicocta refrigeratur. Ad fermentum orizae nescio quae herba admiscetur. Tunc oriza fermentescens in medio, quod de industria excavatum est, liquorem suum exprimit, qui liquor colligitur; alter liquor denuo succedit, qui pariter colligitur; et ita deinceps donec viribus exhausta oriza nihil nisi faecem habeat. Hoc vinum sapit palato sed phlegmata bibenti creat. Calefactum bibitur et sic minus nocet.

Solenne est ab ultima antiquitate apud Sinas, ut seniores in populo seligantur, quos imperator convivio excipiat, quod ibi innuitur.

Ode 6.

Agriculturae descriptio.

Ode 7.

Se ad parentalia accingunt et parentale convivium parant.

Ode 8.

Imperatori Ou-ouang parentale carmen.

Ode 9.

Idem.

Ode 10.

Imperator avis suis parentat.

Ode 11.

Inter lustrandas imperii provincias imperator celebres montes Yo dictos conscendit, et ibi consuetas caerimonias peragit. Vide III. 3. 5.

Hodiernus imperator Kien-long tartarus imperii habenas suscipiens misit ad illos montes Yo dictos ubi de more caerimoniae ipsius nomine peragerentur. Inter

illos montes praesens dynastia annumerat montem in Tartaria Tchang-pe-chân, unde gens Tartarorum Man-tchou dictorum originem suam repetit et sibi ad solium Sinense viam munivit.

NOTAE IN CAPUT 2.

Regnum Lou primum erat inter varia imperii regna sub dynastia Tcheou et maximum in provincia Chan-tong territoriis Yen-tcheou-fou et Tong-ping-tcheou caeterisque regionibus continebatur. Imperator Tching-ouang hoc regnum instituit pro principe Pe-king principis Tcheou-kong filio natu maximo, propter patris praeclara merita et eidem regulo honores impertivit maximos, ipsi copiam faciens adhibendi easdem caerimonias, eumdem in caerimoniis apparatum, qui imperatorum proprius est; sic regulus Pe-king avis suis imperatorum ritu parentabat. Hoc privilegium litterati ad solum Pe-king non ad ejus nepotes pertinuisse asserunt et regni Lou qui secuti sunt regulos hoc privilegio male usos fuisse. Regni tamen Lou parentalia carmina hic in libro Chi-king post imperatorum carmina referuntur a Confucio, qui erat regni Lou patria.

Quae hic leguntur carmina a regni Lou regulo Hi-kong secundum nonnullos scripta sunt: et sunt stylo inferiora quam capitis primi carmina. Regulus autem ille regnare incoepit anno ante Chr. 659.

Ode 1.

Cantatur equorum magna vis quos Regulus Hi-kong alebat.

Ode 2.

Parentale convivium celebratur.

Ode 3.

In gymnasio regio convivium solenne celebratur.

Gymnasium illud erat quod nunc est Koue-tsee-kien collegium imperiale. In gymnasio illo maxime exercebantur in arte militari, in sagittando armisque tractandis; ibi etiam docebantur alumni antiquam doctrinam et libros antiquos. Qui ibi docebant ab imperatore constituebantur magistri, in eo collegio imperatoris et principum filii instituebantur. Discipulorum eorumque eruditionis ratio statis temporibus exigebatur; imperator per se ipse collegium invisebat et magistros docentes audiebat; de his fusius liber Li-ki. Hic mos etiamnum viget, hodiernusque imperator Kien-long luctu absoluto collegium imperiale hic Pekini per se ipse de more invisit.

Non modo imperator in suo territorio sed etiam reguli in propria ditione ejusmodi collegia erigi curabant. Imperiale collegium vocabatur Pi-yong; regulorum autem Pan-kong dicebatur.

Caeterum liber Li-ki collegiorum erectorum antiquitatem a Fou-hi tempore ipso repetit.

Houai regio in provincia Kiang-nan a fluvio qui hanc alluit nomen invenit.

Imperante Yao vixit ille Kao-yo qui reis plectendis judex praeerat aequitate sua et sapientia insignis.

Capti; Qui se dediderant hostes vinctos abducebant, qui se dedere negabant eos occidebant, et occisorum aurem sinistram amputabant; amputatam aurem secum deferebant in suae victoriae testimonium. Alias vidimus hostium capita deferri curribus circumligata.

Ode 4.

Regni Lou regulorum ab Heou-tsì ad Hi-kong regulum majores celebrantur.

Kiang-yuen; vide III. 2. 1.

Principis nepos; Qua generatione nepos nescitur.

Ego filium tuum; Pe-king qui cum juvene Tching-ouang imperatore educatus fuit; et princeps Tcheou-kong imperatori instituendo invigilans culpas in imperatore reo plectere non ausus, in filio suo innocente plectebat.

Tchouang-kong filius; Ille est Hi-kong regulus de quo modo diximus.

Qui his ritibus etc. Rituum parentalium qui quatuor anni tempestatibus peragebantur principium a sacrificio, quod rerum omnium primo auctori supremo rerum domino et dominatori fiebat; et hoc illa et sequente stropha innuitur. Re vera nunc temporis Sinae multi ab ejusmodi sacrificio incipiunt, deinde ritus parentales aggrediuntur, diem unam in sacrificio insumunt, et diem sequentem in parentándo transigùnt; quamquam antiquorum rituum quatuor tempestatibus anni peragendorum vera ratio et lex jam aetate Confucii fere obsòleverat.

Qui secundario etc. Sacrificium pro supremo rerum domino et primo omnium auctore habebatur quasi convivium, quo exceptus hospes clarissimus suum habet adjunctum convivam; qui quidem comes hospiti adjungitur non eo quod comitem hospiti aequiparare velint, sed quod hospitem ita honorare ferat consuetudo. Sic in sacrificiis pro primo rerum omnium auctore, ipsi adjungebant illum ex majoribus suis qui gentis suae auctor fuerat, non ea mente ut eum supremo rerum domino aequiparare vellent; et quemadmodum non paratur convivium nisi hospiti, licet huic adjungatur conviva; ita sacrificium ad solum supremum dominum pertinere existimabant; ita colligitur ex libro Li-ki de ritibus Sinensibus. Quidquid sit de hoc ritu, superstitiosus sit nec ne, ille non pertinet

Ode 3.

In gymnasio regio convivium solenne celebratur.

Gymnasium illud erat quod nunc est Koue-tsee-kien collegium imperiale. In gymnasio illo maxime exercebantur in arte militari, in sagittando armisque tractandis; ibi etiam docebantur alumni antiquam doctrinam et libros antiquos. Qui ibi docebant ab imperatore constituebantur magistri, in eo collegio imperatoris et principum filii instituebantur. Discipulorum eorumque eruditionis ratio statis temporibus exigebatur; imperator per se ipse collegium invisebat et magistros docentes audiebat; de his fusius liber Li-ki. Hic mos etiamnum viget, hodiernusque imperator Kien-long luctu absoluto collegium imperiale hic Pekini per se ipse de more invisit.

Non modo imperator in suo territorio sed etiam reguli in propria ditione ejusmodi collegia erigi curabant. Imperiale collegium vocabatur Pi-yong; regulorum autem Pan-kong dicebatur.

Caeterum liber Li-ki collegiorum erectorum antiquitatem a Fou-hi tempore ipso repetit.

Houai regio in provincia Kiang-nan a fluvio qui hanc alluit nomen invenit.

Imperante Yao vixit ille Kao-yo qui reis plectendis judex praeerat aequitate sua et sapientia insignis.

Capti; Qui se dediderant hostes vinctos abducebant, qui se dedere negabant eos occidebant, et occisorum aurem sinistram amputabant; amputatam aurem secum deferebant in suae victoriae testimonium. Alias vidimus hostium capita deferri curribus circumligata.

Ode 4.

Regni Lou regulorum ab Heou-tsì ad Hi-kong regulum majores celebrantur.

Kiang-yuen; vide III. 2. 1.

Principis nepos; Qua generatione nepos nescitur.

Ego filium tuum; Pe-king qui cum juvene Tching-ouang imperatore educatus fuit; et princeps Tcheou-kong imperatori instituendo invigilans culpas in imperatore reo plectere non ausus, in filio suo innocente plectebat.

Tchouang-kong filius; Ille est Hi-kong regulus de quo modo diximus.

Qui his ritibus etc. Rituum parentalium qui quatuor anni tempestatibus peragebantur principium a sacrificio, quod rerum omnium primo auctori supremo rerum domino et dominatori fiebat; et hoc illa et sequente stropha innuitur. Re vera nunc temporis Sinae multi ab ejusmodi sacrificio incipiunt, deinde ritus parentales aggrediuntur, diem unam in sacrificio insumunt, et diem sequentem in parentando transigunt; quamquam antiquorum rituum quatuor tempestatibus anni peragendorum vera ratio et lex jam aetate Confucii fere obsoleverat.

Qui secundario etc. Sacrificium pro supremo rerum domino et primo omnium auctore habebatur quasi convivium, quo exceptus hospes clarissimus suum habet adjunctum convivam; qui quidem comes hospiti adjungitur non eo quod comitem hospiti aequiparare velint, sed quod hospitem ita honorare ferat consuetudo. Sic in sacrificiis pro primo rerum omnium auctore, ipsi adjungebant illum ex majoribus suis qui gentis suae auctor fuerat, non ea mente ut eum supremo rerum domino aequiparare vellent; et quemadmodum non paratur convivium nisi hospiti, licet huic adjungatur conviva; ita sacrificium ad solum supremum dominum pertinere existimabant; ita colligitur ex libro Li-ki de ritibus Sinensibus. Quidquid sit de hoc ritu, superstitiosus sit nec ne, ille non pertinet

ad gentem hodiernam Sinensem, sed ad imperatorem qui hunc solus usurpat.

Tribus aetatibus; Quae tempora innuat locus ille per tres aetates nesciunt interpretes.

Mille curruum regulus potentissimus esse censebatur. Mille autem curruum ditio quanto terrae tractu contineretur interpres Tsou-tsee disserit quidem hoc loco, sed ipsius verba inter se non cohaerent. Opinio quae videtur communis esse interpretum est, mille curruum ditionem plerumque 100 stadiorum longitudine et latitudine contineri, aut huic spatio aequivalere, scilicet 10,000 stadiorum spatio quadrato. (Geometrice hic notandum Sinas antiquos in sua geodesia quaecumque spatia irregulari figura reducere ad quadratum; et reducendi modum optime scire, ut patet ex libro Li-ki). Quaelibet 10 stadiis quadratis regio regulo suo pendebat unum currum, tres loricatos milites, 72 pedites et 25 aurigas seu currui regendo praepositos homines; sic mille curruum exercitus 100,000 hominibus constabat; vide II. 3. 4. et I. 9. 5.

Triginta millia; Hic mirantur interpretes mille curribus assignari 30,000 peditum, cum juxta superiorem calculum 72000 assignari debuissent; quidquid sit, illi perstant in sua computandi sententia quae aliunde probatur et firmis argumentis nititur.

Barbaros Yong etc. De his barbaris; vid. I. 3. 11.

De hac expeditione reguli Hi-kong contra barbaros et regiones Kin et Chou quae sunt in provinciis Hou-kouang et Ho-nan difficultas est quae solvi non potest; nam hujus expeditionis in historia vestigium nullum est.

Taï-chan mons unus ex montibus sacris Yo dictis, de hoc nomine etiamnum dicitur in provincia Chan-tong; mons ille in confiniis regni Lou et

regni Tsi positus erat. De regno Tsi, vide notas in I. 8. initio.

Lou-tsin; Ibi asservabantur vestes quas avi induerant, et instrumenta musica quibus ad parentalia utebantur.

NOTAE IN CAPUT 3.

Quae hactenus fuere carmina ea omnia ad Tcheou dynastiam pertinent. Jam sunt dynastiae Chang, quae dynastiam Tcheou proxime antecessit, pauca licet, et mutila carmina.

Chang autem, unde dynastia Chang, est regni nomen quod Chun imperator imperii sui praefecto de nomine Sie attribuit; et hujus reguli 14 generatione nepos Tching-tang, anno ante Chr. 1766, debellato Hie-ouang dynastiae Hia ultimo imperatore, imperii potitus dynastiae Chang conditor fuit; cujus in imperium duo primi successores imperium magis magisque florens fecerunt; sed hujus dynastiae pessimus imperator Tcheou-ouang a principe Ou-ouang debellatus est et imperio privatus. Ou-ouang factus imperator victi imperatoris fratrem natu majorem de nomine Ouei-tsee sive Ouei-tsee-ki ditione donavit, et ipsum regni Song regulum salutavit. Regni Song, qui regnaverunt, reguli dynastiae Chang carmina, musicam et ritus retinuerunt; qui tamen ritus antiqui ibi paulatim in dies obsoleverunt; sed regni Song regulus Taï-kong qui anno ante Chr. 799 regnare incepit, dynastiae Chang carminum collectionem fecit duodecim odas sive carmina parentalia complectentem; ex qua collectione Confucius non nisi quinque odas invenire potuit; et in his quidem quinque odis multa adhuc dubia, multaque desiderantur.

Quantulacumque sint residua illa, sunt tamen antiquitatis amantibus pretiosa.

Regnum Chang et regnum Song posita erant in limitibus hodiernae Po-tcheou, quod territorium jam est in confiniis provinciarum Kiang-nan et Ho-nan.

Ode 1.

Tympana erant duabus ansis hinc inde instructa; ansis intromissi bacilli agitatum tympanum pulsabant.

Liber Li-ki de saltatione in parentalibus disserens, sic ait: homo dolore pressus, eundo et redeundo, corpus suum huc et illuc jactando, dolorem, quo premitur, exprimit, itaque in luctu et parentalibus majores nostri saltationem instituerunt, quae doloris et luctus signum esset.

Sic pergit liber ille: mortuis parentibus alii, et plurimi sunt, dolori suo modum nullum statuunt; alii quamquam pauci, jacturam parentum non satis lugent; sic majores nostri lugendi leges statuerunt, quae immodicum luctum temperarent et leviorem ad justos fines adducerent.

Ode 2.

Secunda ut prima est imperatori Tching-tang parentale carmen.

Ode 3.

Idem argumentum.

Nigra avi etc. Sic fabula narratur: ab imperatore Keo-sin sive Ti-ko nepos, cujus nomen reticetur, duxerat Kien-ti uxorem, quae sine liberis dum sacrificio solenni prolem precata dat operam, hirundinis ovum ad se delabi videt, illud comedit, et parit filium Sié dictum, de quo initio notarum in hoc tertium caput.

Sié antequam obtineret ditionem Chang, in regione In degebat et dynastia Chang appellatur etiam dynastia In.

Ou-ting sive Kao-tsong imperator regnare incepit anno a. Chr. 1325, ille est cui in somnis supremus rerum dominus apparuit, ut moneret de Fou-yue qui caementarius imperii administer factus est. De quo Tchou-tsee interpres et de rei veritate nihil dubitans haeret tamen anxius: quomodo, inquit, supremus rerum dominus, qui est sine figura, apparere potuit?

Tching-tang imperator titulo Ou-ouang gaudebat. Ou-ouang, i. e. rex et heros.

De regione King nihil certum est: Sunt qui dicant esse montem et ibi positam esse sedem regiam: aliunde scitur hanc sitam fuisse in territorio hodiernae Ouei-houei-fou, ut jam diximus.

Ode 4.

Hac oda celebrantur viri sapientia insignes qui de Chang dynastia bene meriti qualibet aetate floruerunt.

Puella; illa est Kien-ti de qua ode 3, quae ovum hirundinis comedendo concepit, juxta praecedentem fabulam, quam narravimus.

Hiuen-ouang; ille est Sié, qui, nigra avi natus ut aiunt, nomen Hiuen-ouang, i. e. nigri regis, invenit.

Siang-tou patrem habuit Tchao-ming, et Tchao-ming patrem habuit Sié.

Parvis regnis; scilicet variis imperii regulis.

Per radicem innuitur imperator Kie-ouang dynastiae Hia ultimus, et per tria radicis germina innuuntur tres reguli quorum ditiones hic appellantur et qui contra Tching-tang principem pro Kie-ouang imperatore stabant.

Fidelem administram; ille est celeberrimus Y-ing cujus dignitatis titulus erat Kouo-heng, i. e. praesidium cui innituntur et quo imperium pacificare possunt.

Ode 5.

Dynastiae Chang imperatori Kao-tsong carmen parentale. Imperator ille, de quo vide notas in tertiam superiorem, solium conscendit anno ante Chr. 1325.

Nepos, i. e. ab illo oriundus; nam vox Sinica latinae respondet, nec dicit qua generatione ortus.

Jam vidimus de regione King-tchou; quae in Ho-nan et Hou-kouang provinciis posita erat.

ERRATUM.

In inscriptione paginarum inde a pag. 220 usque ad pag. 256, pro: NOTAE IN PARS — leg. NOTAE. PARS —.

APPENDIX.

I.

TABULA CARMINUM SECUNDUM ORDINEM LIBRI SINICI.

	PARS.	CAP.	ODE.
KOUE-FONG	I.		
TCHEOU-NAN	I.	1.	
Kouan-tsu	I.	1.	1.
Ko-tan	I.	1.	2.
Kiouan-eul	I.	1.	3.
Kieou-mo	I.	1.	4.
Tchong-see	I.	1.	5.
Tao-yao	I.	1.	6.
Tou-tsie	I.	1.	7.
Feou-i	I.	1.	8.
Han-kouang	I.	1.	9.
You-fen	I.	1.	10.
Lin-tchi-tchi	I.	1.	11.
TCHAO-NAN	I.	2.	
Tsio-tchao	I.	2.	1.
Tsai-fan	I.	2.	2.
Tsao-tchong	I.	2.	3.
Tsai-pin	I.	2.	4.
Kan-tang	I.	2.	5.
Hing-lou	I.	2.	6.
Kao-yang	I.	2.	7.
In-ki-loui	I.	2.	8.
Piao-yeou-mei	I.	2.	9.
Siao-sing	I.	2.	10.
Kiang-yeou-see	I.	2.	11.
Ye-yeou-see, kiun	I.	2.	12.
Ho-pi-nong-i	I.	2.	13.
Tseou-yu	I.	2.	14.
PII	I.	3.	
Pe-tcheou	I.	3.	1.
Lo-i	I.	3.	2.
Yen-yen	I.	3.	3.
Ji-youei	I.	3.	4.

	PARS.	CAP.	ODE.
TCHING	I.	7.	
Tse-i	I.	7.	1.
Tsiang-tchong-tse	I.	7.	2.
Cho-in-tien	I.	7.	3.
Ta-cho-in-tien	I.	7.	4.
Tsing-jin	I.	7.	5.
Kao-kieou	I.	7.	6.
Tsun-ta-lou	I.	7.	7.
Niu-youe-ui-ming	I.	7.	8.
Yeou-niu-tong-tche	I.	7.	9.
Chan-yeou-fou-fou	I.	7.	10.
To-hi	I.	7.	11.
Kiao-tong	I.	7.	12.
Kien-tchang	I.	7.	13.
Fong	I.	7.	14.
Song-men-tchi-chen	I.	7.	15.
Fong-yu	I.	7.	16.
Tse-kin	I.	7.	17.
Yang-chi-choui	I.	7.	18.
Tchu-ki-tong-men	I.	7.	19.
Ye-yeou-moen-tsuo	I.	7.	20.
Tsen (tchin)-ouei	I.	7.	21.
TSI	I.	8.	
Ki-ming	I.	8.	1.
Hoan	I.	8.	2.
Tchu	I.	8.	3.
Tong-fang-tchi-ji	I.	8.	4.
Tong-fang-ouei-ming	I.	8.	5.
Nan-chan	I.	8.	6.
Fou-tien	I.	8.	7.
Lou-ling	I.	8.	8.
Pi-ueou	I.	8.	9.
Tsai-uiu	I.	8.	10.
I-tsie	I.	8.	11.
OUEI	I.	9.	
Ko-kiu	I.	9.	1.
Fen-tsu-yu	I.	9.	2.
Yuen-yeou-tao	I.	9.	3.
Tchi-hou	I.	9.	4.
Chi-meou-tchi-kien	I.	9.	5.
Fa-chen	I.	9.	6.
Chi-chu	I.	9.	7.
TANG	I.	10.	
Si-so	I.	10.	1.
Chan-yeou-tchu	I.	10.	2.
Yang-tchi-choui	I.	10.	3.
Tsiao-leao	I.	10.	4.
Tcheou-mieou	I.	10.	5.
Ti-tou	I.	10.	6.

	PARS.	CAP.	ODE.
Kao-kieou	I.	10.	7.
Pao-yu	I.	10.	8.
Wou-i	I.	10.	9.
Yeou-ti-tchi-tou	I.	10.	10.
Ko-seng	I.	10.	11.
Tsai-ling	I.	10.	12.
TSIN	I.	11.	
Tche-lin	I.	11.	1.
Sse-tie	I.	11.	2.
Siao-jong	I.	11.	3.
Kien-kia	I.	11.	4.
Tchong-nan	I.	11.	5.
Hoang-niao	I.	11.	6.
Chin-fong	I.	11.	7.
Wou-i	I.	11.	8.
Oei-yang	I.	11.	9.
Kiouan-yu	I.	11.	10.
TCHIN	I.	12.	
Youen-kieou	I.	12.	1.
Tong-men-chi-fen	I.	12.	2.
Heng-men	I.	12.	3.
Tong-men-tchi-tchi	I.	12.	4.
Tong-men-tchi-yang	I.	12.	5.
Mou-men	I.	12.	6.
Fang-yeou-tsio-tchao	I.	12.	7.
Youei-tchu	I.	12.	8.
Tchu-lin	I.	12.	9.
Tse-pou	I.	12.	10.
HOUI	I.	13.	
Kao-kieou	I.	13.	1.
Sou-kouan	I.	13.	2.
Chi-yeou-tchang-tsou	I.	13.	3.
Fey-fong	I.	13.	4.
TSAO	I.	14.	
Feou-yeou	I.	14.	1.
Heou-jin	I.	14.	2.
Chi-kieou	I.	14.	3.
Hia-thsiouan	I.	14.	4.
PIN	I.	15.	
Tsi-youe	I.	15.	1.
Tchi-hiao	I.	15.	2.
Tong-chan	I.	15.	3.
Po-fou	I.	15.	4.
Fa-ko	I.	15.	5.
Kieou-yu	I.	15.	6.
SIAO-YA	II.		
LO-MING-TCHI-CHI	II.	1.	
Lo-ming	II.	1.	1.
Sse-meou	II.	1.	2.

	PARS.	CAP.	ODE.
Hoang-hoang-tche-hoa	II.	1.	3.
Tchang-hi	II.	1.	4.
Fa-mo	II.	1.	5.
Tien-pao	II.	1.	6.
Tsai-ouei	II.	1.	7.
Tchu-tche	II.	1.	8.
Ti-tou	II.	1.	9.
Nan-kai	II.	1.	†
PE-HOA-TCHI-CHI	II.	2.	
Pe-hoa			†
Hoa-chu			†
Yu-li	II.	2.	1.
Yeou-keng			†
Nan-yeou-kia-yu	II.	2.	2.
Tsong-kieou			†
Nan-chan-yeou-tai	II.	2.	3.
Yeou-i			†
Lou-siao	II.	2.	4.
Tchan-lou	II.	2.	5.
CHANG-KONG-TCHI-TCHI	II.	3.	
Chan-kong	II.	3.	1.
Tsing-tsing-tche-ngo	II.	3.	2.
Lo-youe	II.	3.	3.
Tsai-ki	II.	3.	4.
Tche-kong	II.	3.	5.
Ki-ji	II.	3.	6.
Hong-yen	II.	3.	7.
Ting-leao	II.	3.	8.
Ou-choui	II.	3.	9.
Ho-ming	II.	3.	10.
KI-FOU-TCHI-CHI	II.	4.	
Ki-fou	II.	4.	1.
Pe-kien	II.	4.	2.
Hoang-niao	II.	4.	3.
Ngo-hing-ki-ye	II.	4.	4.
See-kan	II.	4.	5.
Wou-yang	II.	4.	6.
Tsie-nan-chan	II.	4.	7.
Tching-youei	II.	4.	8.
Chi-youe-tchi-kiao	II.	4.	9.
Yu-wou-tching	II.	4.	10.
SIAO-MIN-TCHI-CHI	II.	5.	
Siao-min	II.	5.	1.
Siao-youen	II.	5.	2.
Siao-pien	II.	5.	3.

†) Tituli sunt carminum deperditorum, de quibus Tchu-hi in commentario: Verba perdita, numeri supersunt. J. M.

	PARS.	CAP.	ODE.	ART.
Yeou-ke	IV.	1.	2.	9.
Wou	IV.	1.	2.	10.
TCHEOU-KONG-MIN-YU-SIAO-TSE .	IV.	1.	3.	
Min-yu-siao-tse . . .	IV.	1.	3.	1.
Fang-lo	IV.	1.	3.	2.
King-tchi	IV.	1.	3.	3.
Siao-pi	IV.	1.	3.	4.
Tsai-i	IV.	1.	3.	5.
Leang-sse	IV.	1.	3.	6.
Sse-i	IV.	1.	3.	7.
Tcho	IV.	1.	3.	8.
Ouan	IV.	1.	3.	9.
Lai	IV.	1.	3.	10.
Poen	IV.	1.	3.	11.
LOU-SONG	IV.	2.		
Kiong	IV.	2.		1.
Yeou-pi	IV.	2.		2.
Pouan-choui	IV.	2.		3.
Pi-kong	IV.	2.		4.
CHANG-SONG	IV.	3.		5.
No	IV.	3.		1.
Lie-tsou	IV.	3.		2.
Huen-niao	IV.	3.		3.
Chang-fa	IV.	3.		4.
In-wou	IV.	3.		5.

CHI-KING.

2.

TITULI CARMINUM LIBRI CHI-KING

SECUNDUM ORDINEM ALPHABETICUM DISPOSITI.

FINIS LIBRI CHI-KING.